

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich König Johann Marci


**Dissertatio Soteriologica De Principio Salutis Nostrae Primo, Catholica Nempe
Dei Erga Homines Lapsos Benevolentia**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742471241>

Druck Freier  Zugang





Conrad

Dissertatio Soteriologica
**DE PRINCIPIO SA-
LUTIS NOSTRÆ PRIMO,**

Landes-Bibliothek
Rostock i. M.

CATHOLICA NEMPE DEI ERGA
HOMINES LAPSOES BENEVOLENTIA:

Quam

ex locô classicô Ez. 33. II.
assertam,

Et Prædestinatianis hodiernis
oppositam.

Adspirante Divinâ Gratia

Et

Venerandâ Facultate Theologica in alma
Rosarum consentiente,

PRÆSIDE

JOHANNE FRIDERICO RÖNIG

SS. Theol. D. & Prof. Primario,

publicè defendet

JOHANNES MARCI, Gustrov. Mechl.

in Auditorio Magno

die 27. Augusti horis antemeridianis.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typog. Ann. M. DC. LXIV.



VIRIS
PIETATE, CONSILIO,
PRUDENTIA IN REBUS AGUNDIS
SPLENDIDISSIMIS
D N. CONSULIBUS
SYNDICO
SENATORIBUS
REIPUBLICÆ GUSTROVIENSIS
PATRIBUS PATRIÆ
MAXIMOPERE OBSERVANDIS

Perenrem è fonte gratiæ gratiam.

Erectioris ingenii civibus studium id maximum est, illis, qui
urbi sue presunt, observantiam suam & votis & factis ut de-
monstrent ac testentur. Hoc ipsis namq; civis implent partes,
acid, quod Superioribus divinâ lege debent, faciunt officium.
Ut verò & ego civis boni officii rationem habeam, illâ, quam questi-
vi & inveni, occasione utor, ac venerationem, quâ VOS prosequor,
civis vester declaro, scriptum, quod offero, VOBIS nuncupando. Nec
estis nescii, inter venerationis ac observantia signa suffragiò populi
jam olim receptam fuisse scripitorum quoque nuncupationem: nec
minus nostrâ etate eandem banc in eodem haberi censu. Quamob-
rem non difficile VOS, VIRI AMPLISSIMI, passuros, quod mo-
rem seculi secutus meam VESTRI venerationem sic indicari volue-
rim, confido. Sed & eò minus VOBIS displiciturum judico, quod
ipsum scripti argumentum VOBIS non improbetur, utpote sepiùs in
VESTRI salutem publicè à MEIS propositum. Accipite igitur, sultis,
banc meam, quam exhibeo, disputationem fronte serenâ, hoc est,
vultu VOBIS proprio, eamque non quantitate, sic exigua, sed argu-
menti, quod explicat, valore affectuque mittentis estimate. Non
enim parvum esse censemur sincero judicio, quod à voluntate maximâ
proficietur. Longum valete, VIRI AMPLISSIMI, ac favore vestro
amplius foyete

Vefr. Amplissimi Nominis
Observantissimum

JOHANNEM MARCI, SS. Theol. Stud.



IN NOMINE JESU!

PRO O E M I U M.

Ver subrutofundamento pessum it ipsa domus: ita & fides nostra nudata basi sua ac fulcris, quibus debebat niti. Hec itaque munienda probè erunt, nisi collabesieri velimus salutis nostra arcem. Atque in hanc equidem curam incumbere par est quemvis salvandum, præprimis tamen eos, quos in publica Ecclesiæ sue specula vigiles constituit providentissimum Numen. Omnibus his dictum, quod Timotheo dictum 2 Tim. 1, 14. Custodi nobile depositum. Quod sanè eò commendatius nobis esse debet, quò vebementior est Satanæ in hâc effætâ mundi senectâ per emissarios suos acropolin fidei evertere conantis impetus. Et quidem tria illa salutis nostræ principia catholica: Universalis DEI erga genus humatum lapsum benevolentia: Meritum Redemptoris ad omnes in universum homines, ne uno excepto, se extendens: Seria Dei intentio applicandi consummatissimam Mediatoris obedientiam omnibus, & dandi applicationis medium, fidem sc: omnibus, quot arietibus, quamvis frustraneo nisu, oppugnentur à multis, natius est, quām ut prolixam requirat demonstrationem. Considerabimus hâc vice, atque ab adversariorum φλυαγμis vindicabimus catholicam illam Dei benevolentiam cap. 33. EZ. v. II. à Deo ipso jure jurandò confirmatam. Quod ut felix atque auspicatum esse jubeat eternam Numen, supplices precamur.

A

ūmtr̄

טְקַבֵּחַ TEXTUS.

1. TEXTUS Originalis Hebreus.

נָאֹמֶר אֱלֹהִים חִרְאַנִי נָאָם אֲרַנִי וְהַזָּה אַמְּ-אַחֲפָץ
כְּמוֹת וְהַרְשָׁע כִּי אַמְּ-בָשָׂוב רְשָׁע מְרוֹכוֹ וְחוֹתָה שָׁוָכוֹ
שָׁוָכוֹ מְרוֹכִיכָס הַרְעִים וְלִמְתָה תְּמֹתָה בֵּית יִשְׂרָאֵל:

2. Paraphrasis Chaldaica.

אָמַר לְהָן אָנָא אָמַר יְיָ אֱלֹהִים אָמַר רְעִינָא בְּמִזְבֵּחַ רְשִׁיעָה
מְאַחֲרוֹתָה וְחוֹתָה תָּבוֹן מְאַרְחַתְבּוֹן בְּרִשְׁתָה וְלִמְתָה
תְּמֹתָה בֵּית יִשְׂרָאֵל:

3. Versio LXX.

Εἰπεν ἀντοῖς. Ζῶ ἐγώ, λέγει πύρος κύρος. οὐ βέλεμα τὸν θάνατον τοῦ
ἀσεβῆς, ἀς ποτερέψαται τὸν ἀσεβὴν δόπο τῆς ὁδοῦ ἀντοῖς, καὶ ζῆν ἀνέστη.
Αποεφῆ διποτερέψατε δόπο τῆς ὁδοῦ ὑμῶν τῆς πυνηγεῖς, καὶ οὐκτίθητε
διησκετε οἶκος Ισραήλ;

4. Versio Tremelii - Juniana.

Dic eis: ne vivam ego, dictum Domini Jehovi, si de-
lector morte improbi, sed delector, cum revertitur im-
probus a via sua, ut vivat: Revertimini, revertimini a vi-
is vestris pessimis, cur enim moriemini domus Israelis?

5. Versio Lutheri.

So sprich zu ihnen. So war als ich lebe / spricht der Herr
Herr, Ich habe keinen Gefallen am Tode des Gottlosen / son-
dern dass sich der Gottlose bekehre von seinem Wesen und lebe,
So bekehret euch doch nur von euren bösen Wesen. Warum
wolt ihr sterben / ihr vom Hause Israel?

SECTIO I.

SECTIO I.

Scopi evolutionem, & succinctam oraculiana-
lysin Logicam proponens.

§. I.

Versu proximè præcedenti taxare jubetur Propheta querelas Judæorum in angustiis suis, quibus tum à Chaldaïs premebantur, dicentium: *Iniquitates noſtrae & peccata noſtra ſuper nos ſunt* (*וְעַז*) incumbunt no-bis ceu grande onus; Lutherus rectè: liegen auff uns: sermo autem est, de peccati reatu & poena) & in iphis (וְעַז & propter ipsa, quomodo etiam alibi præpositio ו usurpat. Conf. Gen. 18, 28. Jer. 17, 3. 18, 18.) nos tabescimus (וְעַז dissolvimur, liquefcimus, emarcescimus) quomodo ergò vivere poterimus? Q. d. Premimur pondere peccatorum nostrorum, ut pote jamjam vindicandorum ultrice Dei manu. Imminet inevitabile & sceleribus nostris pridem debitum exitium. Nulla jam vulneribus nostris proderit medicina. Quiitaq; verum esse queat, quod tu dicas, esse vitæ ſpem ullam reliquam.

§. 2. Desperantium ergò verba hæc ſunt, quibus op-poni DEUS vult, quod immediate sequitur. Patet inde, scopum oraculi præsentis eſſe, consolari peccatorem, & munire ejusdem pectus aduersus desperationem: quod e- quidem efficaciū præſtari haud poterat, quām hac viſcerum misericordiæ divinæ dilatatione, jure jurando sanctiſſime confirmatā.

§. 3. Diversa eſt occasio effati parallelī cap. 18, 23. Con-querebantur Judæi, patres ſuos comediffe uvam acerbam, hoc eſt, flagitia patrallē, dentes verò filiorum obſtupuiſſe v. 2. His que-reliſ responsurus DEUS, ipſos non eſſe inſontes, ſed patrum ſuorum veſtigiis inſiſtere, adeoque eos juſtè puniri proteſtatur v. 3 & 4. ſolemnissimè, ſe nullatenus inſontibus mor-tem inſigere, ſed illam ſaltem animam, quæ peccaverit,

morituram esse; quod argumentum fusissimè persequitur usque ad v. 20. inclusivè. Pòst à defensione justitiæ suæ progressitur v. 21. ad descriptionem suæ misericordiæ; neminem adeò meritum esse peccatis suis mortem, cuinon per pœnitentiam aditus pateat ad gratiam & vitam. Atque inde v. 23. erumpit in aurea illa, & efficacis solatii plenissima verba: *Nunquid volendo volam mortem impiè, dicit Dominus DEUS;*
& non, ut convertatur à viis suis, & vivat.

§. Partes oraculi nostri dux sunt. Prima est: Attestatio DEI jurata de misericordiâ ac gratiâ suâ erga quemvis peccatorem: Altera, invitatio benignissima ad pœnitentiam seriam. In primâ occurrit. I. *Subjectum jurans*, quod est Adonai Jehovih. II. *Juramentum*: Vivo ego. III. *Materia*, super quâ jurat Deus, seu juramenti objectum, quod exprimitur partim negative, quod sc. non velit mortem peccatoris; partim affirmative, quod scil. velit 1. aversionem ejus à viis iniquitatis, 2. vitam ejus. In alterâ parte adhortatio ad pœnitentiam proponitur tûm imperatiue: Revertimini; tûm interrogatiue: quare moriemini?

SECTIO II.

Exegesis Philologicam & Theologicam,
tractans.

§. I. Juramentum exprimitur verbis: *וְנִבְּנֵה vel
vivus ego.* Formula jurandi est, etiā inter homines frequen-
tissima *Jud: 8, 19. 1 Sam. 14, 45. 19, 6. 20, 3. 26, 10. 28, 10. 2. Sam.
12, 5. 15, 21. &c.* Hoc loco ab ipso DEO usurpatur, quemad-
modum etiam alibi eam invenimus. *Conf. Num. 14, 21. 28.
El. 49, 18. Jer. 22, 24. Ezech. 14, 16. 16, 48. 17, 16. 19. 18, 3. 20, 3. 31,
33. 34, 8.* Parallelæ phrases sunt, quibus dicitur *DEVS jurare
per animam suam* *Jer. 5, 14. Amos 6, 8. & per seipsum* *Ex. 32, 13.
El. 45, 23. Jer. 22, 5. Hebr. 6, 13.* Sensus itaque juramenti di-
vinihic est: *Quam certum est, me vivere, vel me esse verum ac
vivum*

vivum DEUM, non expers vite idolum; tam certum quoque est,
quod jam dicturus sum. Gemina scilicet ellipsis est, ut sermo
plenus sit: Ut vivo, ita verum est, quod dico. Deinde: Si dele-
ctor morte impii, non ero DEUS. Unde recte Lutherus. So
war als ich lebe/ ich habe kein Gefallen am Tode des Gottlosen.
Pia quidem, sed alienior à textu est explicatio Hectoris Pin-
ti, Conimbricensis Doctoris, in comment. Ad h. l., ubi ait:
Verba hæc esse Christi resurgentis, quasi is dicat: *Velit, no-*
lit Judeus, vivo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro
peccatoribus. Volo, ut fructuosa sit mors mea ut vivant hi, pro qui-
bus mortuus sum:

§. 2. נָמָם אֲרַנְיָהוּת dixit Adonai Jehovib, vel potius
dictum seu sermo Adonai Jehovib. Vox נָמָם in Scripturā tritissi-
ma est, habetq; se instar nominis in regimine positi. Radix
est נָמָם dixit, quod semel tantum legitur, nempe Jer. 23,31. &
uti quidam haut malè notant, plus est, quam simpliciter di-
xit, atq; idem significat, quod verum dixit, certum afferuit,
seu certò affirmavit. Unde nostrum נָמָם propriè & commu-
niter DEO, qui ipsa veritas est, aut Prophetis & viris DEI Spi-
ritu impulsis tribuitur. Vide Num. 24,32. Sam. 23,1. Gemina ei
est asleveratio Gentium Doctori consveta: Πιστες λαογραφη Tim. 1,15.
3,1. 2. Tim. 2,11. Tit. 3,8. Conf. Mercerum in Notis ad Rad. נָמָם
in Th. L. S. Pagni: Improbabilitatem per וְעַזְוָמָנִים vocem
hanc Hebræam tributam legimus Ps. 36, 1. נָמָם dictum
improbabilitatis de impio in medio cordis mei. Non est timor co-
ram oculis ejus.

§. 3. Is, cui tribuitur hoc נָמָם appellatur אֲרַנְיָהוּת.
De quibus DEI nominibus alibi pluscula noravimus. Con-
ferri poterunt è nostris B. Frantzius de Interpr. Script. S. p
640. seqq. B. Gerh. in exegesi L. de natur. Dei & attribut.
Div. §. 22. seqq. & §. 48. seqq. B. Nic. Hunnius in examine er-
rorum Photinianorum p. 203 seqq. & p. 260 seqq. B. Walthe-
rus

rus in spicileg. part. I. q. 152, 3. B. Dorschæus Dissert. de æternâ **אֵשׁ** generatione ex Ps. 2, 7 th. 20, seqq. & dissert. de sessione Christi ad dextram Patris th. 22. seqq. 45 seqq. it. in diss. peculiari de nomine **יְהוָה**, Dn. D. Calovius Tom. II. in A Conf. p. 218 seqq. & p 421. seqq. E Reformatis Nic. Fullerus I. 2. miscell. c. 6. & I. 4. c. 13, 14. & in append. apolog. ad lib. 6. p. 780. seqq. Drusius in tetragr. Sixtinus ab Amama in Antibarb. Biblico p. 265 seqq. Hugo Sanford de descens. ad inf. I. 1. Rivetus in Comm. ad Exod. 3, 15. & in comment. ad Ps. 110, 1. alii. Nobis hâc vice sufficerit Tertulliani jurantis sublimitate se oblectantis apposuisse verba. Itâ verò hic I. de pœnit. c. 4. Bonum est, inquit, pœnitere: Annon? Quid revolvit? DEus precepit. At ille non precipit tantum, sed etiam bortatur. Invitae premio ad salutem, jurans etiam, vivo dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa DEus jurat! O miserimos, si nec juranti Domino credimus! Et quod Hieronymus habet Epist. 46. Id circò jurat, ut, si non credimus promittenti DEO, credamus saltem pro salute juranti. Conf. Hebr. 6, 16. seqq.

§. 4. **רַבְנָן** — N Chald. — N Conjunctio conditionalis — N uti alibi in formulis juramenti ellipticis, itâ & hic negativum facit sensum, proinde idem est quod non. Conf. Gen. 14, 23. 21, 23. Deut. 1, 35. Jud. 5, 8. 1 Sam. 3, 4. 1 Reg. 1, 51. &c. Eodem sensu Marc. 8, 12. accipitur Græcum & pro quo Paraphrastes Syrus ibidem ponit **λέγει** non; & in locis parallelis Math. 12, 39. 16, 4. per expressam negativam explicatur hypothetica illa. Dictum autem suprà, ejusmodi formulas juramenti ellipticas esse, ut pars quædam per apostrophe in reteatur. Unde Piscator Herbornensis in scholiis ad h. l. rectè supplet ellipsin hoc modō: Si delector morte impiorum, non ero DEus. Cap. 18. Ez. v. 23. hypothetica hæc interrogative enuntiatur **עֲשֵׂה מֹתָךְ רַבְנָן** Nunquid volendo volam mortem impii? Quæ interrogatio fortissimè negat, ut 2 Sam. 7, 5. Zach.

I, 5, Fa-

1. s. Patentur hoc ipsi autores versionis Belgicæ, quando in
scholiis ad h. l. ajunt. Dese Brage verset fert sterlicet. Vehem-
entia negationis disertè confirmatur v. 32. hujus capitinis
patheticâ negativâ נֹאַת נֹאַת non volo; hoc est, omnino re-
novo, aversor. Eam enim phraseos hujus emphasis esse, tūm
ex contentione Dei cum Judæis acerrimā, tūm ex textus
avvenit, tūm denique ex ipsius sermonis indole patet. Ita
Deut. 25, 7. נֹאַת נֹאַת exponitur uno eodemque versiculo per
יְהִי renuit, & נֹאַת נֹאַת non vult. Conf. El. 6, 12. Ps. 5, 5. 51, 18.
El. 1, 11. 13. Mal. 1, 10.

§. 5. Actus voluntatis insinuatur verbo fut. tempor.
נֹאַת descendente à Rad. נֹאַת, quod & delectatus fuit, & voluit
significat. Conf. Jud. 13, 23. 1 Sam. 2, 25. Deut. 25, 8. Jer. 42, 22.
Cant. 2, 7. Hinc nomen נֹאַת & delectationem & voluntatem si-
gnificat. Vid. 1 Sam. 18, 25. El. 53, 10. Prov. 31, 13. Reg. 5, 8. El. 44,
28. Et fatemur, si emphasis vocum exprimere accurritius
velimus, verbum נֹאַת voluit cum delectatione, & nomen נֹאַת
voluntatem cum delectatione conjunctam propriè significare.
Sed nihilominus & hâc ratione manet volendi significatio;
qui enim cum delectatione vult, is etiam vult; qvum ab est
tertii adjecti ad est secundi adjecti valeat consequentia.
Quandoque tamen notat etiam simpliciter voluit, ut Jud. 13, 23.
1 Sam. 2, 25. Inde LXX verbum Hebr. hoc loco per βέλωμα, &
& in loco parallelo cap. 18, v. 33 per θέλω exprenderunt. Sic
נֹאַת quod Os. 6, 6. habetur, à Christo Matt. 9, 13. per θέλω ex-
pliatur. Observatio verò illa quorundam, quod scilicet
verbum נֹאַת cum nomine præfixum בְ habente conjunctū
semper delectatus est, cum accusativo autem constructum
semper voluit significet, nullō nititur fundamentō. Contra-
rium potius patet ex, eō, quod constructio hâc permittetur
eodem manente sensu, Sic Ez. 18, 23, cum accusativo etiam
constru-

constructum legimus: מות רשות הרוח Nunquid volen-
do volam mortem impii, quam constructionem in proximè se-
quenti cōmate mox sequitur constructio cū
הלא בשיבו ב nonnē in revertendō ipsum &c. Chaldæus Paraphrastes hic & in
locō parallelo cap. 18. utitur voce רעה , cuius radix est רעה ,
quod pariter & delectatus fuit, & voluit, significat. Vid. Bux-
torff. in Lex. Chaldaico Thalm. & Rabb. Col. 227.

§. 6. E dictis patet, sensum oraculi nostri esse, Deum
etiam non velle interitum peccatoris. Neque fingi potest aut de-
bet in Deo delectatio sine volitione, quasi Deus aliquā re
delectari possit, quam tamen non velit. Ne quidem in hu-
manis delectatio sine volitione esse potest. Quāre delecta-
mur, eam etiam volumus, minimum voluntate complacenie.
Quare, si vel maximè concederemus,formaliter non
velle, sed delectari significare, negandum tamen haut fo-
ret, volitionem delectatione materialiter includi. Et sic
DEUS nihilominus innueretur, non velle mortem, sed vi-
tam peccatoris. Quæ DEI volitio quoad præsens negoti-
um explicanda porro erit.

§. 7. Una equidem in se & simplicissima est Dei volun-
tas, ex parte tamen objectorum & connotatorum suorum per
rationem variè distinguitur. Huic equidem loco Ezechielico
non parum lucis inferet nota distinctio inter voluntatem
antecedentem & consequentem, quam non novum Scholasti-
corum inventum, sed diu ante hos venerando Patrum cho-
ro familiare fuisse infra probabimus. Non vult DEUS mor-
tem peccatoris voluntate antecedente, quanquam eam possit
velle, & actu etiam velit voluntate consequente. Ita etiam
voluntate antecedente vult vitam cuiusvis peccatoris.
Non contempnenda sunt, quæ hanc in rem commentatur
Gaspar Sanctius ad v. 13. cap. 18. Ez. Voluntatis, inquit, sūe esse
negat Dominus morti tradere peccatorem, & tamen morti tradit,

Capi-

Et capitali, immo gebennali suppicio condemnat. Ideo supra dicebam,
Deum quasi invitum et reniente natura ad hominum quantumvis
scelerorum supplicium pertrahi; cui proprium est misereri semper,
et parcere; quod est fertur pronitate atque impetu, quod per declivem
alveum flumina decurrunt. Duas Theologis in Deo voluntates agno-
scunt; alteram antecedentem vocant, que maxime indicat divinam na-
turam bonitatem; que vult omnes homines salvos fieri, neque de malo
cujusquam cogitat: nisi aliquid accidat ab homine, quod severam ali-
am voluntatem advocet ac sollicitet, que voluntas vocatur consequens;
que videlicet non tam orta a Deo est secundum naturam suam benignitatem,
quam ab hominum peccato insimulata, quod sanare vult, licet
severiori medicina, aut punire vindice flagello. Antecedens itaque
voluntas ex Dei misericordia nascitur, consequens quodammodo ex
hominum vitiis. Hoc facile induxit intelligitur exemplis. Non vult antecedente
voluntate mercator projicere merces, quas ante valde, et maxi-
mum labore quasivit; neque judex in crucem agere illum, quem judicio de-
stinat capitali; aut medicus urere aut secare, quem amat, fratrem:
voluntate tamen consequente jactat mercator tempestate cogente
merces in mare, quia aliter omnino pereundum esset, quas tamen, si
posset, salvas esse vellet: Et judex, quia id exigit publica ratio, et dam-
nati merita, illum supplicio destinat, a quo tamen mallet, si hac absint,
et ultricem virgam, et publicam posebatem cobibere. Neque Medi-
cus priore voluntate secaret, aut ureret agrotum, nisi id exigeret a
sequente voluntate aut medicina ratio, aut agroti necessitas. Sic ergo
non est voluntatis Dei, nempe antecedentis, mors impii, quia non læ-
tatur in perditione vivorum Sap. cap. l. punittamen et damnat con-
sequenti voluntate, quia id exigit recta atque publica ratio, ne pecca-
ta maneat impunita. Haec ille, Probè tamen observandum,
voluntatem hanc antecedentem non esse desiderium aliquod
inefficax, aut affectum simplicis complacentie, quia quis rem,
quae sibi placet, & quam in se amat, non cupiat efficere aut
consequi, adeoque nec mediis ad hunc finem ducentibus uti

B

velit:

velit: sed voluntatem efficacem, quā D E U S vitam peccatoris
ardentissimè desideratam etiam efficere, ac per media suffi-
cientia & efficacia conlequi serio intendit Joh. 3, 16. Es. 5, 2.
4. Luc. 14, 17. 21. Matt. 22, 4. 10. Tit. 2, 15. Quia itaq; voluntas
hæc ita vult peccatoris vitam, ut velit etiam & ordinet me-
dia, per quæ peccator finem adipisci possit, idcirco non affe-
ctus simplicis sed efficacis complacentiæ est.

§. 8. Est autem benevolia hæc DEI voluntas, quā o-
mniū omnino peccatorum vitā vult, ita insuper comparata,
ut finem volitum efficere intendat potentia non *absoluta* sed
ordinata, quæ scilicet legem ordinemq; à D E O sapienter con-
stitutum respicit; atq; inde non repugnat, eam quandoque
non impleri; quod non est ex defectu potentia ex parte D E I, sed
ob absentiam conditonis, sub quā D E U S hoc vel illud ab homi-
ne volebat fieri; seu ob neglectum mediorum, juxta quæ
per potentiam ordinatam operari ille intenderat: Quā de
causā etiam in textu dicitur: *D E U M velle, ut peccator converta-
tur & vivat:* Quibus verbis rāziv à D E O præscriptam conti-
neri infrà dicetur. Evidem omnis D E I actio ad extra ab in-
finita ejus potentia est, non tamen D E U S semper & ubique
omnipotenter, hoc est, secundum omnem omnipotentia suæ
vivit agit. Indè aliquando resistentiam admittit, non ex debili-
tate & imperfectione virtutis in agente, sed ex ordinatio-
ne sapientiæ divinæ, cui hoc modo & ordine operari placuit.
Atq; hinc etiam voluntas illa grata antecedens, quam per
potentiam ordinatam exequitur D E U S, licet efficacissima-
in se sit, resistibilis tamen est, ut licet non omnis ejus c̄r̄egere,
τοπιλεσμα tamen illud, quod conversio consummata dici-
tur, voluntariâ & evitabili hominis malitiâ impediri possit.
Es. 65, 12. 66, 4. Matt. 23, 37. Luc. 7, 30. Act. 7, 51.

§. 9. Id quod non vult D E U S, mors peccatoris est, &
quidem non tam temporalis, quam spiritualis ac æterna, quæ
commu-

communis est orthodoxorum interpretum sententia. Ita etiam D. Hieronymus ad h. l. *Vita*, inquit, & mors in b. l. non hoc significatur, quâ omnes communi cum bestiis lege natura vel vivimus, vel morte dissolvimur; sed illa, de quâ scriptum est: Placebo Domino in regione vivorum: & anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Hieronymo etiam è Pontificiis subscribunt Lyra, Vatablus, Hector Piurus, Cornelius à lapide ad h. l. Quibus contradicit Jesuita Gaspar Sandtius in comm. h. l. sententiam, quæ de corporali morte interpretatur textum, verisimiliorē pronuntians. Hugo Grotius etiam in annot. ad c. 18. & 33. Ez. ut vitam de vitâ felici & temporali, ita mortem de morte temporali immaturâ exponit. Conf. quæ habet ad v. 9. 13. 19. cap. 18. Calviniani itidem communiter intelligunt de morte temporali, eāq; violentâ, quod probant (1) ex voce *sanguinis*, quam semper pro morte temporali violentâ in Scripturis accipi ajunt (2) ex *Judæorum murmurationibus* c. 18. v. 2. ubi conqueruntur de pœnis sibi præter meritum inflictis.

§. 10. Verūm de eâ morte hic sermo est; quæ (1) op̄ ponitur vitæ, quæ justo ceu præmium gratuitum promittitur c. 18. v. 5. seqq. At ea non tam temporalis, utpote per impiorum tyrannidem facile amissibilis, quām æterna est. (2) à quâ justus extensus est c. 18. 24. usq; ad 20. à morte autem temporali violentâ justi non semper immunes sunt. (3) quæ opponitur vitæ, ceu esse etiū conversionis impii c. 18. v. 21. 22. 23. c. 33. v. 11. 14. 15. 16. At ista potissimum vita æterna est. (4) quæ per pœnitentiam averti potest c. 18. v. 21. 22. 23. 27. 28. c. 33. v. 11. 14. seqq. at hæc non temporalis, sed æterna est (5) cui impenitentes necessariò & inevitabiliter subiectus est c. 18. v. 24. 26. at hæc non temporalis, violenta, quām multi impenitentes naturali morte moriantur, sed æterna est. (6) quam Propheta speculator annuntiare debet impio c. 33. v. 7. 8. At hæc non tam temporalis violenta, quām æterna mors est.

§. 11. Nec obstante, quæ objiciuntur. Nam (1.) vox *fan-*
guinis, quæ c. 18. v. 13. & c. 33. v. 8. habetur, non semper pœ-
nam temporalem, sed quandoq; etiam æternam significat,
ut Act. 18, 6. c. 20, 26. Hoc verò loco pœnam æternam eā de-
notari ex paragrapho proximè præcedenti abundè constat.
(2) Distinguendū est inter occasionem dicti & rationem deciden-
di. Positō, occasionem dicti esse querelam de pœni temporalibus c. 18, 2. ratio tamen decidendi potest esse generalior,
quod etiam alibi passim Scripturas accuratiū legenti obvi-
um est. Transiit verò hic fieri à morte temporariā ad æter-
nam, patebit cuivis mediocri diligentia textum Propheti-
cum inspiciēti, & probatum id jam suprà à nobis est. (3) Po-
sitō sed non concessō, mortem tantūm temporalem litera-
liter hic intelligi, firmissimè tamen exinde inferre liceret. Si
misericordissimus DEUS non vult mortem temporalem im-
pii, multò minùs mortem ejus æternam volet.

§. 12. Is, cuius mortem se nolle DEUS dicit, vocatur
in textu רַשְׁתָּה, quod est nom. sing. cum emphatico à
verb. רָשַׁת quod significat commoveri, inquietum esse instar ma-
ris perpetuò fluctuantis Ec. 57, 20. & cognationem habet cum
רַשְׁתָּה commotus est. Itaq; רַשְׁתָּה significat cum, qui in continuo
nequitiae motu est, Ef. 57, 20. ac proinde nec cōscientiæ tran-
quillitate ullâ gaudet Ef. 48, 22. Intelligitur autem hic non
tantūm impius pœnitentiam acturus, ut Piscator & autores
versionis Belgicæ, aliique Calvinistæ exponunt; sed &
רַחֲמָה moriens, seu is, qui jam mortuus est v. 32. c. 18. morte sc: sive
spirituali tantum, sive spirituali & æternā simul. Sensus er-
gò est, DEUM ne quidem eorum, qui pereunt, mortem vel-
le voluntate antecedente.

§. 13. Id, quod vult DEUS, exprimitur sequentibus verbis:
כִּי אֶת־בְּשָׂוב רַשְׁתָּה מְרֻפָּה וְחַיָּה
Particulae duæ hic *adver-*
sativæ significat, ut idē sint, ac sed, quomodo etiā accipiuntur
Deut.

Deut. 16, 6. Ps. 1, 2. Es. 59, 2. בְּשִׁיבָה est insin: Kal cū p̄fixō, quod facit Gerund: in D.O. Quidam p̄æpositionem hanc cum infinitivō constructā hypothetice exponunt, ut בְּשִׁובָה illisidem sit, ac si convertatur; quæ Glossa inventa est ad stabiliendam sententiam, quæ ait, de impiō pœnitente saltem sermonem hic esse: Verūm בְּשִׁיבָה in בְּשִׁיבָה mediante conjunctione eodem modō, quōd in בְּמֹתָה ad proximē antecedens verbum יְחַפֵּץ refertur: Jam autem בְּמֹתָה designat objectum volitionis negativum, ergo בְּשִׁובָה in designabit objectum affirmativum, hōc sensu: Non delector in morte impii, sed in convertendo eundem, seu in conversione ejusdem.

§. 14. Ipsa conversio insinuatur verbō בְּשִׁיבָה quod in significacione intransitivā usurpatur de iis, qui ex locis peregrinis ad sua redeunt Gen. 14, 17. 18. 33. c. 31, 3. 1. Sam. 26, 25. &c. Item de Hagare fugitivā ad heram suam redeunte. Gen. 16, 9. Et talis reversio etiam conversio per pœnitentiam est, quâ peccatores ex aviis in viam, ex fugâ ad verum suum Dominum redeunt. Unde Flacius in Clav. in voce convertere ait: Locutio hæc inde orta est, quod obedientes DEO dicuntur eum sequi, ut servi herum: impii vero dicuntur averti ab eō, & sequi Saranam, sicut servus discedens ab obædientiâ sui Domini. Postremò cùm respicunt, dicuntur iterum converti ad priorem herum, DELUM, ut eum sequantur accolant. Hæc ille. Cæterum observandum etiam est, nostrum בְּשִׁיבָה insinuare hic voluntatem DEI ordinatam. Non dicit simpliciter: Volo vitam, sed בְּשִׁיבָה in convertendō impium, ut vivat. Vult ergo vitam peccatoris non absolutâ voluntate, sed ordinatâ, ut scil: conversus vivat. Conversio itaq;, & media, ex quibus illa est, sūt ordo ille, quē Deus in gratiâ hac suâ voluntate respicit.

§. 15. Terminus conversionis à quo designatur voce מְרֻכָּב, quæ est nomen מְרֻכָּב cum affixo ל tertiae personæ sing. num. gen. mascul. & p̄fixâ partic: דְּמָרְכָּב propriè est via,

quæ pedibus calcatur, via trita, à Rad. חַדְרָה calcavit impressione pedis, incessit. Figuratè notat studia s: opera, in quibus quis versatur, item inveteratam consuetudinem ac mores tritos, ut Ps. 1, 1. 6. 119, 1. 1. Reg. 15, 26. Gen. 19, 31. Es. 55, 7. Jer. 23, 22. &c. Ità etiam hoc loco significat inveteratum studium peccandi, seu viam iniquitatis frequentatam peccatoribus; quæ à Christo ἐνεύχωσεν ἡ ὁδός, via spatiose dicitur, & τῇ ποδὶ μημένῃ, trite s: arcta opponitur. Matt. 7, 13, 14.

§. 16. Finis secundum quidultimus à D E O intentus, est vita peccatoris. וְלֹא יִבְרֵא וְלֹא יִבְרֵא juxta Pagnini versionem, vel potius juxta Tremellio - Junianam, ut vivat: Ut præfixum ו habeat hoc loco significationem causalem, ac proinde recte per illi exponatur, ut Ex. 5, 13, 16. 1. Sam. 20, 16. Es. 53, 2. Thren: 1, 19. 3, 26. Os. 2, 2. Jon. 1, 3. Verbō autem חַדְרָה indigitatur tūm vita gratie, tūm vita gloria.

§. 17. Sequitur adhortatio ad pœnitentiam, patheticis expressa verbis: שׁוּבוּ שׁוּבוּ מִרְכָּבֵיכֶם הַרְעִים. Revertimini, revertimini à viis vestris malis. Verbum fut. 1 Kal. שׁוּבוּ geminatur ad declarandum studium & serietatem adhortantis, nec non periculi impendentis certitudinem. Conf. Cant. 6, 12. Dan. 10, 19. Ps. 68, 13. Id, à quo reverti jubentur peccatores, sunt via male, seu, ut pleniū emphasin vocis וְלֹא ver-sio Tremellio-Juniana exprimit, pessima. Nam nemphaticum præfixum adjectivo post substantivum facit superlativum. Conf. Jer. 32, 17. Dum autem imperat conversionem peccatori D E U S, non juber eam fieri per vires hominum proprias, uti Pontificii & Sociniani hic comminiscuntur. Nam à precepto ad effectum producendum viribus ejus, cui precipi-tur, non vales consequentia, ut patet ex imperativis Christi thaumaturgicis: Lazare veni foras, puella surge &c. Sed vult sal-tum, ut non impedit malitiosè homo peccator operatio-nem Spiritus Sancti, & potius ordini conversionis à D E O

præ-

præscripto se submittat, & perfici in se patiatur, quod Spiritus Sanctus mediante verbo producere intendit opus. Sed & porrò probè observandum est, quod quemadmodum voces illæ Christi miracula edentis: *Adolescens tibi dico surge: Volo mundus esto &c.* non tantum præcipiunt, sed simul etiam efficiaciter operantur id, quod præcipiunt; ita etiam verba ista: *Revertimini, revertimini*, non esse nudæ imperativa, sed simul ejus, quod imperatur, effectiva, non quidem per modum potentia irresistibilis, qualis emphasis imperativorum thaumaturgicorum erat; sed secundum ordinationem divina sapientie, secundum quam DEUS omnia efficit, quæ vult, quo usque & quomodo vult. Similis ἐρέγεια est in imperativis illis Es. 45, 18. *Surdi audire, & cœci intuemini ad videndum:* Qui bus verbis si non inest vis operans (quantum in se est) visum & auditum, lusus est; perinde ac si cœcus jubeatur videre, cui tamen medicina non adhibetur, ut accuratè monet B. Nicolaus Hunnius in Exam. err. Photin. de hominis statu primo & secundo sect. 2. cap. 4. p. 266.

§. 18. Pergit misericordissimum Numen וְלֹפֶת תָּמוֹתָה: quare moriemini Domus Israel? Vox וְלֹפֶת est interrogatio habens vim amicæ prohibitionis. Solent enim parentes & amici interrogando sæpius periculi magnitudinem aut rei postulatae æquitatem suis oculos ponere. Vocula ergo quare idem hoc loco notat ac NE, uti Gen. 27, 45. 1. Sam. 19, 17. Ps. 79, 10. Quasi dicat DEUS: Ach sterbet doch nicht ihr meine Kinder vom Hause Israels. בֵּין domus metaphoricè accipitur pro domus incolis, & deinde pro totâ aliquâ cognatione ex unâ domo propagata, ut domus Judæ, domus Benjamin, Israël &c. quemadmodū etiam in nostrâ vernaculâ, das Haus Mecklenburg/Holstein/&c. Reclam notat Sanctius ad v. 31. cap. 18. involuere nomen hoc (dom' Israël) non obscure, que Deus in Israëlis domū beneficia contulerit, quemadmodū sapiens à morte servaverit

verit; ut straverit ingenti clade peccatores; & receperit in suum finū & gratiā pēnitentes; ut flentibus ignoverit, districtumq; ferrum vaginæ reddiderit; denique ut nullum fuerit illius populis seculum, in quo non extet multatā peccatoris aut revocati pēnitentis ad gratiam illustre documentum. Hęc ille. Quod autem impiis de domo Israel hic dictum, id omnibus promiscuè peccatoribus dicum: DEUS enim non vult ullos perire, sed omnes ad pēnitentiam reverti, & salvos fieri 2. Petr. 3, 9. 1. Tim. 2, 4. Inepta verò est glossa Piscatoris Herbōnensis ad h. l. quā ex verbis בֵּית יִשְׂרָאֵל probare contendit, esse saltem in hoc oraculo sermonem de peccatoribus pēnitentibus: quasi verò in domo Israel nulli impēnitentes fuerint.

SECTIO III.

πόλεισμα unum proponens.

DEUS nullum omnino peccatorem ex absolutō odio reprobat, sed voluntate antecedente omnes, omnes omnino ad pēnitentiam & vitam vult reverti.

§. 1. Hęc orthodoxorum thesis est, ex textu explicatō sponte suā fluens. Antequam verò ἀποδέξῃ debitā eam adversus Antagonistas confirmemus, opera pretium erit, recensere originem & natales nobilissimā controversiā, & brevem certaminum circa hunc fundamentalem articulum historiam pertexere.

§. 2. Evidēt quod Gentium Doctor aureæ gnomæ de catholicā Christi erga peccatores benevolentia præmitit encomium: Πιστὸς ὁ Λευτέριος ἡ πάσης ἀποδοξῆς ἔχεις 1. Tim. 1, 15. idem & parallelum, quod in Ezechiele nostro extat, oraculum meretur, utpote ex ejus profectum ore, qui ipsa veritas, ipsa sinceritas est, & ut omnis de benignissimo DEI erga

ga quosvis peccatores affectu dubitandi præcidatur ansa,
jure jurando insuper firmatum. Posta tamen est, & hæc do-
ctrinæ cœlestis nobilissima pars heterodoxæ lingue verbera,
ut tūm priscorum seculorum, tūm nostræ ætatis historia
abundè docet.

§. 3. Extiterunt jam *quinto seculo*, qui ex scriptis Au-
gustini male intellectis eò prolapsi sunt, ut gratiam hanc, &
quod ex hoc fonte fluxit, Christi meritum, ad soloselectos
restringerent. Ac Augustinum quidem quod attinet, vari-
umeum ac sām mutabilem in istarum disputationum fervo-
re, ut à grè secum & cum Scripturā sacrā conciliari possit,
apertè Pareus confitetur de lib. arbit. & gratiā c. 14. Beza quo-
que in cap. Joh. v. 5. ait, eum extra metas alicubi excurrisse
defendendæ adversus Pelagianos veritatis studiō abruptum.
Quantæ etiam inter Pontificios de genuina Augustini circa
doctrinam de gratiā & prædestinatione mente contentio-
nes sint, ex scriptis ipsorum satis superque patet. Conferan-
tur præter alios Franciscus Sylvarez. l. 3. opusc. de auxil.
grat. c. 18. §. 3. seqq. c. 13. §. 19. seqq. c. 11. §. 12. seqq. & lib. 2. c. 5.
§. 8. seqq. Petavius de dogmat. Div. Tom. I. p. 698. 701. Dida-
cus Alvarez l. 1. de aux. grat. disp. 5. & disp. 110. n. seqq. Cor-
nelius Jansenius in Augustino suo Tom. 3. lib. 3. cap. 20. 21.
& passim.

§. 4. Distinguendum verò hīc inter tempora mo-
tum cum Pelagio ejusdemque affectis certamen ante-
gressa; & ea, quæ disputationem hanc insecuta sunt. Ante
tumultus illos Pelagianos eadem omnino cum Patribus
Græcis & Latinis in hoc capite Augustinum sensisse, extra
dubitacionis aleam positum est. At postea mutasse mentem
atque à sententiā communi discessum fecisse, plurium opi-
nio est, atque eorum in primis, qui Augustinum in societa-
tem dogmatis sui de prædestinatione absolutā pertrahere

C

student.

student. Vide Petrum Molinæum in Anat: armin: c. 23. Jan-
senium l. c.lib.2. cap.31. Conf. etiam Vossium Hist. Pelag. lib.
1.th.10. & 11. & Corvin. in Censurâ anat. Arm. Molinæi c. 23.
p.330. Contra defendunt ejus etiam post orta cum Pelagianis
certamina orthodoxiam Nostrates passim. Vide B. Hülse-
mann. Disp. 2. de auxil. gratiæ th.7. §.1. d. th.21. 22. Disp. 3. th.5.
D. Micræl. in heterodoxiâ Calvin. de prædest. dec. disp. 4. th.
16. & in Syntagm. Histor. Eccles. p. 224. Dnn. Theologos Ge-
danenses in censurâ in causâ Laterm. punct. 7. p. 47. seqq. &
quino vissim & prolixè hoc argumentum persecutus est, Dn.
D. Calovium in Syncret. Calixt. p. 225. seqq. Idem diu ante
Nostros hos egerat B. Prosper, Augustini discipulus, in resp. ad
Objection. Vincent. vel ad articulos falsò Augustino oppo-
sitios art. 2. 3. 4. 7. Item in resp. ad capp. Gallorum cap. 4. 5.
7. 8. 9. 10. 14. Verùm, quanquam omnino verum sit, Augu-
stiniū in magni momenti controversiis non stare à Calvi-
nianorum partibus, ut quum docet, quod DEUS neminem,
ad malum culpæ prædestinârit, &c. haut tamen diffidendum
est, Patrum doctissimum, dum, quanto potuit, nisi adver-
sariorum premere voluit, ad alterum quandoque extremo-
rum deflexisse videri; quomodo etiam de eō judicant Domi-
ni Theologi Argentoratenses in Censurâ super causa La-
term. p. 45.

§. 5. Ex iis, quæ in disputatione contra Pelagium &
sequaces ab Augustino duriusculè dicta aut malè intellecta,
enati tandem sunt errores de electione absolutâ & gratiâ
particulari, quam qui tuebantur, *Prædestinati* & *Prædestinati*-
ani postmodum dicti sunt. Eorum mentionem injiciunt è
Veteribus Arnobius Junior comm. super Ps. 108. 117, 146. Au-
tor libri, quem in Bibliothecâ Sanctæ Mariæ Remensis re-
pertum sub *Prædestinati* nomine anno 1643 edidit Jacobus
Sirmondus; Gennadius Massiliensis in appendice ad Hie-
ron.

ron. indiculum de Hæresibus, allegata etiam ab Hincmaro
de prædest. cap. 1. Faustus Regiensis in Epp. ad Leontium Are-
latensem & Lucidum Prædestinatianorum antesignanum,
nec non ipse Lucidus in epistolâ recantatoriâ apud Hinc-
marum l. c. & Binium tom. 2. Concil. p. 386. & in Bibliotheca
Patrum tom. 4. p. 176, 181. Synodus Aurasicana in Gallia
Narbonensi Anno 429. de quâ Baronius Tom. VI. ad ann.
436. & app. ad T. 10. Hincmarus in Ep. ad Nicolaum Papam
ap. Flodoardum lib. 3. Hist. Rhem. c. 4. Sigebertus in Chro-
nicô ad ann. 415. Antiquos hos sequuntur recentiores: Mag-
deburgenses Cent. 5. cap. 5. p. 520. Osiander in histor. Eccl.
cent. 5. lib. 1. cap. 27. p. 110. Calvisius in Chronol. ad A.C.
490. p. 615. Micrael. in Syntag. Hist. Eccl. lib. 2. sect. 2. p. 123.
406. Vossius in Histor. Pelag. c. 8. p. 35. Baronius ad A.C. 490.
Genebr. in Chron: sub Zozymo. Suarez. Tom. de grat. pro-
leg. 5. c. 5. n. 1. alii.

§. 6. Impugnant existentiam Prædestinatianæ hujus
hæreses è Reformatis Andreas Rivetus Cathol. orthodox.
proœm. p. 4. f. 2. Jacobus Usserius Archiepiscopus Arma-
chanus in Histor. Godeschalci cap. 2. Joh. Forbesius à Corse
Instruct. Histor. Theol. l. 8. c. 29. procul dubio haud aliâ fini,
quâ quod nolint sectæ suæ doctrinam in priscis illis hæreticis
damnata m. E. Pontificiis idem cum Calvinianis agit Cor-
nelius Jansenius, Episcopus Irenensis, qui in Augustino suo
Tom. 1. lib. 8. cap. 23. Col. 542. existimat, nunquam in rerum
naturâ fuisse hæresin Prædestinatianam vel hæreticos Prædestinatia-
nos: sed è contra doctrinam Catholicam, quam S. Augustinus & Pro-
sper docuerunt, sub nomine istius hæreses calumniosè à Massiliens-
ibus traductam esse: Itaque hæreticos illos Prædestinatianos non fu-
isse alios quam S. Augustinum, Prosperum, Hilarium & quotquot
eorum doctrinam secuti fuerint &c. Et sub finem cap. all. ait
hæresin Prædestinatianorum fuisse commentum Semipelagianorum,

Ε μορμολύνεται, quā imperitos terrere voluerint, ne Catholice doctrina attenderent &c. Iprensi ad stipulatur Auræus Doctor Sorbonicus in censura Prædestinati. Anno 1650 Politicus quidam Pontificius, Gilbertus Mauguin, Regi Galliarum à consiliis & in supra Monetarum curia Præses, Vindicias Prædestinationis & Gratiae ex veteribus autoribus, qui nono seculo de prædestinatione & gratia scripsérunt, in duos distributas Tomos, & approbatione Doctorum Theologicæ Facultatis Parisiensis munitas edidit, & sub finem Tom. 2. peculiari & prolixâ dissertatione Historiæ Prædestinationianæ Jesuicæ Jacobi Sirmondi oppositâ probare conatus fuit, id quod de Prædestinationis veteribus refertur, non historiam, sed meram fabulam esse. Quod thema suum integris 12. capitibus persequitur.

S. 7. Verū non sunt tanti ponderis hujus & ceterorum argumenta, ut, quod intendunt, persuadere nobis queant. Quæ generatim nobis obiciuntur, duo præcipue sunt: primum, quod Gennadius atq; alii veteres, qui de hac hæresi scripsérunt, Pelagiani fuerint: alterum, quod dogmata, quæ sub titulo hæreſeos Prædestinationianæ circūferuntur, sint illæ ipſe imputations & calumniae, quibus Pelagiani S. Augustinum gravaverint. Reponimus ad prius: Si propterèa testibus allegatis in præsenti controversiâ fides tutò haberi haut possit, quod Pelagiani aut Semipelagiani fuerint, secuturū pariter, & Socratem & Sozomenum & Philostorgium nonnisi fabulas in Historiis suis scribere, eo quod duo illi Novatiani, hic verò Eunomianus fuerint. Ad posteriorius: non pugnare: esse partem criminatum, quibus Augustinus à Pelagianis gravatus fuit, & esse dogma hæreſeos Prædestinationianæ. Idem utrumq; esse potest: Quomodo thesis illa: homines ob prævisum usum liberi arbitrii ad vitam æternam prædestinari, & ipsissima criminatio, quâ Absolutarii ortho-

orthodoxos traducunt, & simūl dogma hæreſeos Pelagianæ est. Specialiorum objectionum resolutionem conflictui reſervamus, concludentes hoc diſcurſus noſtri caput inge- nuā Petri Molinai magna inter Reformatos existimationis Viri confiſſione, cœteris existentiam Hæreſeos Prædestina- tianæ negantibus opponenda. Ita verò ille in Anatome Ar- minianismi cap. 30. fol. 260. Auguſtinō ē vīnis ſublato ejus ſcripta de Prædestinatione & gratiā, & libero Arbitrio variè à variis accepta ſunt. Hic morbus precipue Aquitaniam exercuit. Inter has conten- tiones emerſit hæreſis Prædestinatōrum, cuius meminit Sigbertus Chron. ad ann. 415. Et post pauca: Hoc errore imbutus fuit Lucidus quidam Presbyter Aquitanie, ad quem exſtat Faſti Regiensis Episco- pi Aquitanie epiftola, cui ſubscripta ſunt nominā undecim Episcopo- rum Concilii Arelatensis. In hac epiftola anathema dicitur illis, qui dicunt, Christum pro omnibus non eſſe mortuum, ſum iſis, qui dicunt, DEUM nolle omnes homines ſalvos fieri, quod ſanè à Faſtō vere eſſe prolatum & juxta Catholicam fidem, Synodus Arelatensis recte judica- vit. Haec tenus Molinæus.

§. 8. Atq; hæc Prædestinatōrum pefis terminari ſeculo ſexto, & integris duobus ſequentiibus, ſeptimo nempē & octavo, quaſi ſepulta jacere videbatur, donec ſeculō IX. errorem hunc ex orco revocaret Godeschalcus natione Bel- ga, profiſſione Presbyter. Statuerat hic in colloquio cum Epifcopō Nothingo habitō geminam prædestinationem, alteram ad vitam, ad mortem & interitum alteram; atq; hoc ſuum thema in primis ex Auguſtinō probare conatus fue- rat. Cum autem Nothingus paulo post ad Ludovicum Im- peratorem in pagum Loganum veniſſet, cum Rabano Mo- guntinō Archiepifcopō colloquendi occaſionem nauctus, o- mnia illa refert, quaꝝ Godeschalcus de geminā prædestina- tione ſecum contulerat. Quibus auditis Rabanus duas epi- ftolas ſuper hoc negotiō ſcribit, unam ad Nothingum, alte- ram

ram ad Eberhardum Comitem, apud quem tunc temporis
in Galliâ Cisalpina commorabatur Godeschalcus, quarum
tamen fragmenta saltem adhuc extant. Ut ex censurâ, quam
Ecclesia Lugdunensis tûm temporis de Rabani epistolis cap.
41. tulit, constat, imputat Rabanus Godeschalco, quod sta-
tuat prædestinationem non tantum ad mortem, sed & ad
peccatum, mortem causans. Et in Ep: ad Eberhardum Co-
mitem scribit, Godeschalcum dogmatizare, quod prædestinatio
DEI omnem hominem ita constringat, ut, etiam si quis salvus velit
fieri, & pro hac fide rectâ & bonis operibus certet, ut ad vitam æter-
nâ per DEI gratiam veniat, frustâ & incassum labore, si non sit
prædestinatus ad vitam: quasi DEUS prædestinatione suâ cogat ho-
minem interire, qui autor est salutis nostræ, non perditionis. Addit
ibidem: Jam tunc multos in desperationem suimet hanc sententiam
perduxisse, ita ut dicant, quid mihi necesse est, pro salute meâ & vi-
ta æternâ laborare? Quia si bonum fecero & prædestinatus ad vitam
non sum, nihil mibi prodest. Si autem malum egero, nihil mibi ob-
est, quia prædestinatio DEI me facit ad vitam æternam pervenire.

§. 9. Rabanum impertinenter ista adducere, Censura
Lugdunensis Ecclesiæ, à Remigio Archiepiscopo conscripta,
cap. 41. asserit, additq;: non queri in praesenti disceptatione, utrum
impios DEUS & iniquos prædestinaverit ad ipsam impietatem & ini-
quitatem, id est, ut impii & iniqui essent, & aliud esse non possent;
nullum enim hoc dicere & dixisse; & fore istud immanem & detestabi-
lem blasphemiam &c. sed illud potius queri: Utrum eos, quos veraci-
ter omnino præscivit proprio vitio impios & iniquos futuros, & in suis
impietatibus atq; iniquitatibus usq; ad mortem perseveraturos, justo
judicio prædestinaverit eterno supplicio puniendos &c. Verum
quum prædestinatio non solum finis, sed & mediorum sit, non
inepte collegit Rabanus, eum qui dicit, DEUM prædesti-
nasse impios ad mortem æternam, consequenter etiam di-
cere, DEUM ad peccata & infidelitatem, quæ damnationis
causæ

causæ sunt, impios prædestinasse. Alterum quoq; absurdum, quod dogmati Godeschalciano Rabanus tribuit in Epistolâ ad Eberhardum Comitem, & in Synodicâ suâ ad Hincmarum repetit, fluit ex absolutâ illâ prædestinatione, quam ab illô statui, nemo Hyperaspistarum ejus diffiteri audebit. Idem absurdum, & ferè iisdem verbis ex Absolutariorum doctrinâ deduxit Formula Concordiæ art. de ætern. prædest. & elect. DEI pag. m. 800, 801.

§. 10. Sed & ipse Godeschalcus non continere se potest, quin laceritus erroris sui mysteria prodat. Nam audiens, configi censurâ acriori doctrinam suam, Italiâ relictâ in Germaniam initiò anni 848 se recepit, & circa Calendas Octobris, cùm Moguntiæ haberetur Synodus à Ludovicô Romanorum Rege indicta, confessionem suam de geminâ prædestinatione unâ cum libellô, quô Rabani epistolam ad Nothignum refutare voluit, Rabano obtulit, quorum fragmenta exstant in Hincmari opere de prædest. cap. 5. 21. 24. 27. 29. Ex quibus tria in primis præter geminam prædestinationem advertimus eum statuere (1) *DEUM non velle omnes homines salvos fieri, sed duntaxat eos, qui salvantur, quâde causâ etiam syncategorema OMNIS in dictô illô Apostolico : DEUS vult omnes homines salvos fieri, exponit, de omnibus, qui salvantur.* (2) Eos, qui salvantur, necessitate fatali & absolutâ, ac vi quâdam divinâ irresistibili salvari. Itâ enim ille in libellô alleg. Omnes, inquit, quos vult DEUS salvos fieri, sine dubitatione salvantur, nec possunt salvare, nisi quos DEUS vult salvos fieri, nec est quisquam, quem DEUS salvare velit, & non salvetur, quia DEUS noster omnia, quæcumq; voluit, fecit. Conf. Epist. 17. Hincmari ad Nicolaum Papam apud Flodoard. l. c. (3) *Filium DEI pro solis prædestinatis ad vitam sanguinem fudisse.*

§. 11. Godeschalcus primùm in Moguntinâ Synodâ, cui Rabanus præsederat, postmodum etiam in Carisiacâ damnatus,

natus, quin & ergastulo Monasterii Altumvillarensis Remensis Diocesis inclusus, Ratramnum Corbejensem Monachum aliosq; sententiæ suæ patronos nactus est, super quibus etiam Hincmarus conqueritur de prædest. cap. 2. Imprimis vero Remigius in libellô de Tribus Epistolis Ecclesiae Lugdunensis nomine conscripto, Godeschalci causani tueri videbatur. Anno insuper 855. mense Januario Lotharii Imperatoris jussu habita est Synodus Valentina, in cuius canonibus mirificè triumphant, qui causa Prædestinatione & Godeschalcianæ favent. Vide præter alios Mauguin l.c. T. 2. c. 32. p. 304 seqq. & Forbesium à Corsel. all. nec non Jansenium Tom. I lib. 8. cap. 23. col. 548.

§. 12. Sed ut videamus, an faveat hoc Concilium erroride Prædestinatione, quem post Godeschalcum hodiè Reformati ac Jansenista sovent, contenta singulorum Canonum de materia disputationis nostræ loquentium paucis pellustrabimus. In primò sancitur, novitates vocum, unde inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari possit, omni studio devitandas esse. In secundò, DEUM prescivisse ab aeternò nouantum bona sed & mala culpa: neque tamen prorsus ulli mali præscientiam DEI imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset. At neutrum horum sive à Rabano, sive ab Hincmaro, aut ullò orthodoxorum unquam negatum aut impugnatum fuit. In tertio statuitur equidem prædestinatione impiorum ad mortem. Ubi tamē duas adhibent cautelas Synodici. (1) Expressè dicunt, DEUM pñam saltem illorum & prescivisse & prædestinasse: malitiam vero ipsorum prescivisse, quia ex ipsis erat, non prædestinasse, quia ex illo non erat: uti habent verba formalia Canonis. (2) Protestantur ibidem aliquos ad malum prædestinatos esse divinâ potestate, quasi aliud esse non possint, se non solum non credere, sed etiam si sint, qui tantum mali credere velint, illis se Avarasianam secutos Synodum cum omni detestatione anathema dicere. Quæ

re. Quæ certè orthodoxa omnia & prorsùs diversa sunt à Scholæ Genevensis placitis. Et quanquam terminus predestinationis ad mortem, ~~ayez~~ sit, sensus tamen, quod illi utuntur, haut malus est, quum eō nihil intelligent aliud, quam consilium seu decretum voluntatis DEI consequentis judicariæ, juxta quod ab æternō flammis infernalibus adjudicavit quosvis in infidelitate ad finem vitæ perseveraturos.

§. 13. In quarto demum reperitur aliquid, quod Godeschalcianis favere, & redemtionem ad solos credentes restringere videtur. Verba Canonis hæc sunt: Item de Redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causâ exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usq; ad passionem Domini in suā impietate mortui, eternā damnatione puniti sunt, effusum eum definiunt, contra illud Propheticum: Ero mors tuā, o mors, ero mors tuus, in ferne: Illud nobis simpliciter & fideliter tenendum & docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moses exaltavit &c. ut omnis qui credit &c. Sic enim Deus dilexit mundum &c. ut omnis, qui credit in eum, non pereat &c. Videntur utiq; Synodici non satis assecuti mentem Hincmari, & cum eō sentientium Doctorum, quos putant statuere, Christum eā fini in cruce sanguinem effusisse, ut ex inferno educeret eos, qui ex impoenitientiæ & infidelitatis suæ finalis meritō justō DEI iudicio jam eō detrusi erant. Non de applicatione & actuali fruitione redemtionis, sed de ipsa solutione lytri cruenti, ejusdemq; applicabilitate ex seriā ac benevolā DEI intentione estimata loquuntur illi, utpote quorum hæc mens est: Licet mors Christi non proficit damnatis ante Christi mortem mortuis, solutum tamen pro iis esse sanguinis pretium, adeò ut & ipsi virtute praestandi, & antrorsum.

D

& quæ

æquè ac retrorsum valentis meriti Christi, ex DEI intentione
seriā æternæ damnationis expertes esse debuerint, atq; insuper etiam potuerint, nisi voluntariā & evitabili malitiā o-
bicum gratiæ divinæ posuissent. Ita hodie nū à recentiori-
bus Godeschalcianis confundūtur distinguenda, ceu constat
ex recenti exemplō Petri Molinæi Pastoris Parisiensis, qui in
judiciō suō Synodo Dordrechtae oblatō & manu suâ sub-
scriptō subdolè ait: *enodationem quæstionis: an Christus omnibus*
& singulis impetraverit & acquisiverit reconciliationem & remissio-
*nem peccatorum, pendere ab aliâ, videlicet an justum sit, ut reconcilien-
tientur D E O, iisq; remittantur peccata, qui Christi gratiam respu-
unt, & in infidelitate ac impænitentiâ perseverant.* Vide Acta Syn.
Nat. Dordr. p. 402. Atq; sic etiam Patres Valentinae Synodi,
sine fraude tamē, ac in simplicitate suâ, statum controversiarum
illò tempore minus recte formarunt, ac proinde nec Hinc-
maro contradixerunt, qui, quoad actualem meriti Christi
fruitionem idem omnino sentiebat, quodiphi. Quod verò
Patres illi Valentinae Synodi absolute & simpliciter negave-
rint Christum pro omnibus effusisse sanguinem, nunquam
probabitur. Contrarium apparebit ex sequenti Canone.

S. 14. Nam capitulo quinto, Synodus expressè definit,
quosvis baptizatos regenerari, & Christi sanguine à peccatis ablui,
quia (quæ verba ipsorum sunt), nec in eis potuerit esse vera regen-
neratio, nisi fieret & vera Redemptio, quum in Ecclesiæ Sacramentis
nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, &
ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex hac ipsa tamen Redem-
torum multitudine alios salvati æternâ salute &c. alios, quia nolue-
runt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptio-
nisq; gratiam potius irritam facere pravâ doctrinâ vel vitâ, quam
servare elegerunt, ad plenitudinem salutis & ad perceptionem æternae
beatitudinis nullò modò pervenire. Quæ sanè à nostrorum Go-
deschalcianorum dogmate, quod omnes infantes baptiza-
tos

tos regenerari, & reprobos insuper redemptos ac gratia redemtionis donatos esse negat, totô cœlō distant.

§. 15. Ut ad Godeschalcum redeamus, accusatus is insuper Arianismi fuit, cuius rei hanc occasionem fuisse legimus. Orta erat inter quosdam contentio, *utrum Trina Deitas dici posset*: quâ de causâ Hincmarus in Ecclesiâ Remensi cantare prohibuit vetustissimam Hymni clausulam: *Te Trina Deitas Unag. poscimus*. Audiens hoc in carcere suô Altumvillarensi Godeschalcus, Schedulam scripsit, quâ Trinam Deitatem dici posse comprobavit; Ratramnus quoq; Corbejenis jam ante ingens volumen ad Hildegarium Meldensem Episcopum scripsit, in quod prolixè contendebat, sicut trinum & unum DEUM, itâ trinam & unam Deitatem Catholice dici posse. Quæ ansam dederunt Hincmaro Godeschalcum novæ hæreseos accusandi, & Schedulam ejusdem, nec non Ratramni scriptum librō integro, quem inscripsit de non-Trinâ Deitate, confutandi, Explicaverat equidem mentem suam Godeschalcus, dicendō, se agnoscere Deitatem unam naturaliter, trinam verò personaliter: & sicut liceret dicere: DEU M esse unum naturaliter & trinum personaliter, itâ etiam Deitatem naturaliter unam, & personaliter trinam dici licere. Nolebat tamen his acquiescere Hincmarus, sed heterodoxias arguere alterum perseverabat. Hoc interim etiam hic notandum, errare Cardinalem Baronium, qui ad ann. 848. de Godeschalco hoc scribit, quod Deitatem Sanctæ Trinitatis triplicem statuerit: Nā trinam dixit, non triplicem, ut constat ex Schedulâ illius, quam integrum librō suō de non-Trinâ Deitate Hincmarus inservit.

§. 16. Extincta videbatur denuò Hæresis Prædestiniana cum ipsô Godeschalcô, cuius mors in annum 868. incidit. Sed reviviscere cœpit seculô XII. in Petrò Lombardô Episcopô Parisiensi, Sententiarum Magistrô vulgo dicto, quem eum Præceptorem postea secuti sunt Scholastici, donec mon-

strofissimus fœtus obstetricantibus Johanne Calvinō & complicibus ad eam maturitatem duderetur, in quā hodiē eū (proh dolor!) conspicimus. Disputabant sub initium Reformationis Helvetii & Galli Protestantes, Christum nec velle nec posse corpus suum ore manducandum in Sacra Eucharistiā præsens sisteret. Contrā Lutherus, & qui ejus tuebantur partes, Christum & velle & posse hoc præstare asserebant, prius ex verbis institutionis, posterius ex personali unione, atq; ex eā resultante majestatis divinæ communicatione probantes. Atq; sic à controversiā de cœnâ deventum est ad litem de personali naturarum duarum unione & reali divinorum idiomatum communicatione. Porrò quia orthodoxi Sacramenta fidei ingenerandæ & conservandæ organa efficacia esse docebant, incipiebant Calviniani illis negativam suam opponere, palamq; statuere, *Sacramenta nudè significativa signa esse*: fidem dari prout DEO visum fuerit vel ante vel post baptismum: non regenerari baptismō reprobos, utpote ad quos Redemptio per Christum facta non attineat; neq; indignos corpus Domini in Sacra Cœnâ manducare. Hāc occasione delapsæ partes controvertentes sunt ad *quæstiones de origine fidei & principiis salutis*, quumq; orthodoxi dicent, neminem ex absolutō odiō reprobari, Calviniani contrarium defendere conati fuerunt. Conf. D. Michael. Synt. Eccl. Hist. l. 3. sect. 2.

§. 17. Sed & hi in plures scissi partes sunt. Nam Calvinus, Beza, aliiq; rigidiores docebant, DEUM ex genere humano secundum præscientiam divinam nondum lapsō, imō nondum sicut creato, maximam partem ex absoluto beneplacito, sine intuitu futuri lapsus & peccati, adeoq; nullō meritō aut culpā eorum, aeternū reprobasse; cuius blasphemī dogmatis propugnatores postea *supralapsarii*, eō quod decretum reprobationis ut & electionis supra seu ante lapsum hominis collocarent; & deniq; Gomaristæ à Franciscō Gomardō, præcipuō hujus erroris patronō, dicti sunt.

sunt. Sed extitere inter ipsos Calvini sectatores, qui abhor-
rerent à grandi blasphemiam, ac ad mitiorem sententiam in-
clinarent. Inter quos erant Ministri Delfenses cum aliis qui.
busdam in Belgio, qui statuebant, *D E U M ex genere humano*
lapso decreuisse certas quasdam personas, citra fidei intuitum, servare,
& illis solis mediatores & fidem gratia irresistibili dare, reliquos ve-
rò sine Christo & efficaci gratia relinquere. Atq; hi sublapsarii po-
stea appellati fuerunt, cum prioribus in eō amicè conspiran-
tes, quod & quæ ac illi gratiæ DEI & meriti Christi particula-
ritatem afferant ac defendant.

§. 18. Utriq; parti tandem bellum indixit *Jacobus Ar-*
minius Veteraquinas, Pastor primum Amstelodamensis, post
Francisci Junii in Academiâ Leidensi successor, Bezae quon-
dam Genevæ Auditor, qui pro Præceptore contra Delfenses
disputationem adornatus, & illum & hos graviter errare
animadvertisit. Occasionem dissensionis dignissimam me-
moratu Petri Bertii verbis recensebimus. Ita vero in Oratione de vita & obitu Arminii, operibus ejus præmissa: Cir-
cumferebatur, inquit, forte quorundam piorum manibus libellus à
quisbusdam fratribus in Ecclesiâ Delfensi scriptus adversus D. Bezae
hoc titulo: *Responsio ad argumenta quadam Bezae & Calvini ex tra-*
ctatu de predestinatione in cap. 9. ad Romanos. Eum libellum b. m.
Martinus Lydius, qui antea Pastorem egerat in Ecclesiâ Amsterda-
mensi, tunc vero Professorem agebat in novâ Frisorum Academiâ,
transmiserat ad D. Arminium, cuius & ingenium sagax & judicium
acre, & vim in docendo & refutando mirificam partim famam accep-
rat, partim ipse expertus fuerat: Neq; erat omnino ab hoc instituto
Arminius alienus; recens enim ex Scholâ Genevensi auribus circum-
ferebat sonum lectionum & argumentorum D. Bezae. Accingit ergo
sesè operi; sed dum molitur refutationem, dum argumenta utriusq;
expendit, dum confert scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero
dictus, primò secutus est sententiam illam ipsam, quam oppugnabat;

postea in eam divinā virgulā & Spiritus Sancti ductu delatus est, quam ad finem usq; vita constanter afferuit: Decretum sc. DEI eternum in predestinatione non esse, eligere praeceps & absolute ad salutem quosdam, quos nondum decrevisset creare, quod voluit D. Beza: neq; verò posid decretò creationis, & pravis lapsu, quosdam citra antecedentem rationem JESU CHRISTI, quod volebant fratres Delenses. Sed ex creatis & lapsis eos, qui volenti DEO verà fidei obedientia responsuri essent, quod ab eruditissimo Melanchthon & Nicolaò Hemmingio & aliis permultis Theologis assertum est. Hæc Bertius.

S. 19. Arminii partes qui sequebantur, Arminiani ab eo dicebantur, & postea Remonstrantes à Remonstrantia seu libello, quem pro suâ sententiâ Ordinibus anno hujus seculi decimò obtulerant. Opposita huic anno sequenti alia Remonstrantia est ab adversæ partis Doctoribus, qui Contraremonstrantes inde appellati fuerunt. Atq; ab his Arminiani inquinq; religionis capitibus se dissentire professi sunt, nempe de absolutò predestinationis decretò, de Redemtione Christi particuliari, circa servum hominis arbitrium, de irrevocabili gratia DEI operatione in conversione, nec non de perseverantiâ fidei pœniten- tie, si deiq; inamissibilitate. Invenisse verò Remonstrantium Doctrinam inter ipsos Belgii fœderati Proceres Patronos, testatur decretum Ordinum Anno 1524, in quô Beza & Gomari sententia carbone notabatur: Publicatum est proximè sequenti anno aliud, quod assertoribus universalis Redemtionis per Christum factæ insigniter patrocinabatur. Ventilatæ tandem hæ controversiæ sunt in Synodo Nationali Dordrechta an. 1618. & 1619. habita, processu tamen admodum iniquo & violento; quod latè deductum vide apud B. Nic. Hunnum in præfatione Διανοίψεως de fundamentali dissensu Calvinianorum & Lutheranorum. Damnata autem in hæc Synodô fuit doctrina Remonstrantium, & approbata sententia

tentia sublapsariorum, non rejecta interim ea, quæ Gomaristarum seu supralapsariorum erat.

§. 20. Prodiit denique è Calvini Scholâ nova secta, cui originem dedit disputatio Tileni cum Johanne Camerone Doctore Salmuriense in Galliâ. Atque ille quidem Professor ante hac Sedanensis, desertis Contraremonstrantium partibus, Remonstrantium principia amplexus est, habitaque cum Camerone de gratia collatione, occasionem huic dedit quandam gratiæ universalitatem statuendi, quam postea Tostardus, Moses Amyraldus, Ludovicus Crocius, aliquique, oraculorum Divinorum evidentiâ convicti, operosiùs propugnârunt. Statuebant verò, DEUM velle omnes homines salvos fieri, si scilicet omnes homines possint & velint credere. At velle DEUM omnibus fidem, aut media fidem generantia conferre, non admittebant. Atq; hòc ipsò cum cœteris crassioribus in centro absolutæ prædestinationis conveniebant, à conditione illâ impossibili & ludificatoriâ, à quâ gratiam DEI suspendebant, Hypothetici appellati. Quibus se acriter opposuerunt Hugonottæ & Reformati cœteri, in primis verò Petrus Molinæus, Rivetus, Spanhemius, & Professores Facultatis Theologicæ Leidenensis, in editis abs se super Amyraldisticô negotiô judiciis & censuris, de quibus inferiùs plura dicentur.

§. 21. Sed & inter Pontificios complures sunt, qui cum Godeschalco & Calvinianis quoad caput de gratiâ & Prædestinatione idem docent. Conferantur saltem ea, quæ Bannes, Zumelius, Alvarez, Estius & horum complices, de particuliari gratiâ irresistibiter hominem irregenitum absolutè prædestinatum convertente; editis in publicum scriptis tradiderunt, ob quæ etiam Calvinismi rei pronuntiantur à Bellarmino l. i. de grat. c. 11. Svaretz l. i. de auxil. c. 12. n. 1. Lessio de grat. eff. c. 7. Tanneri l. 2. Disp. 6. q. 2. dub. 3. n. 46. Atque inde de horum consensu majorem in modum

dum sibi gratulantur Reformati. Conferantur Paulus Ferrius Metensis in specimine Scholastici orthodoxi & Rivetus Tom.2.Cathol. Orthodox. tract. 4.q. 4. ubi de irresistibili-
tate disputans ad Francisci Sylvii, Pauli Bennii, Matthæi Respolis, Casparis Ram, Bannis, & aliorum Dominicanorū, prædeterminationis voluntatis humanæ physicæ pa-
tronorum, ομοψυχίαν atque autoritatem, provocat.

§. 22. Pontificiis Prædestinatianis in primis etiam ac-
censendi veniunt Janseniste in Belgio & Gallia à Cornelio Jan-
seniò Leerdamensi, primùm Professore Lovaniensi, postea vero Epi-
scopò Ippensi, atque anno hujus seculi trigesimo octavō vitā
functō, nomen fortiti. Is Michaelis Baji quondam Profes-
soris & Cancellarii Lovaniensis doctrinam secutus, quic-
quid in Augustini scriptis pro gratiā particulari in absolu-
te prædestinatos irresistibiliter agēte facere visū fuit, summo
studio congesit: Atq; inde natū ingens illud, ac viginti duo-
rū annorū spatio clucubratum opus, quod titulō AUGUSTI-
NI JANSENII post mortem Autoris annō hujus seculi qua-
dragesimō, S. Cæsareæ Majestatis & Regis Catholici privi-
legiis, nec non Theologorum Regiorum splendidissimis cen-
suris munitū Lovanii primū lucem vidit. In quō equidem
non pauca præclara & orthodoxa, de concreata primi hominis recti-
tudine, de primi peccati reatu, de peccati actualis naturā & quid-
ditate, de nullitate virium naturalium in hominis conversione, de
imperfectione honorū operum in regenitīs, & similia alia contine-
nentur, atq; aduersus Pelagianos recentiores nervosè satis &
feliciter urguntur. Sed tamen in compluribus Autor Operis
Prædestinatus & Calvinianus est: nam expressè negat gratiam
universalem, atque ex hac profuentiā generalia Redemtionis me-
dia Tom.3.l.10.cap.2.col.1013, & voluntatem DEI antecedentem
erga peccatores in nudā quādam velleitate, nihil omnino gratia
causante, consistere statuit. Tom.3.l.3.c.20. col.379. negat in
specie universalitatem meriti Christi, & loca Scriptura classica illam
confir-

*confirmantia prorsus ad Calvini sensum detorquet. Tom. 1. lib. 8.
cap. 23. col. 548. Tom. 3. lib. 3. cap. 21. col. 381. 383. 384. Reprobos
carere omni omnino gratia sufficienti ad salutem, Tom. 3. lib. 3.
cap. 11. col. 304. seqq. solis verò electis beneficia liberationis danda
DEUM preparasse, Tom. 3. lib. 10. cap. 2. col. 104. asserit. Quan-
tum ad gratiam medicinalem, ut ille loquitur, ratione modi
agendi in conversione spiritatam attinet, exponit ipse equidem
Tom. 3. l. 8. c. 2. prolixè, quantum distet sua de adjutorio DEI
medicinali sententia à prædeterminatione physica, prout à
defensoribus ejus, Dominicanis scilicet, traditur, capite ta-
men proximè sequenti latè probat, adjutorium Christi deter-
minare ac prædeterminare etiam physicè voluntatem humanam, ut
velit & ardentius velit. Quod ipso efficaciam gratiæ conversi-
væ irresistibilem & nulla voluntatis humanæ repugnantia
superabilem statuit. Conferantur, quæ habet Tom. 3. lib. 2.
cap. 25. col. 202. seqq.*

§. 23. Verum quod prædecessoris ejus Michaelis Baji
propositionibus accidit, utpote à duobus Pontificibus, Piô
V. & Gregoriô XIII. damnatis, idem etiam Irenensis nostri
molimina experta fuere. Nam proximô statim ab eô quod
editus erat, anno, AUGUSTINUS Jansenii ab Urbano VIII.
diplomate peculiari damnatus & prohibitus fuit. Idem egit
Anno 1653. Innocentius X. cuius Bullam an. 1656. confirma-
vit, qui hodiè Romæ præfet, Alexander VII. Ac prioribus
quidem duobus decretis parùm perterriti sunt Jansenii se-
ctatores: Nam artibus & importunitate sollicitantium im-
petrata illa esse, ac proinde Reges Bullarum executionem su-
spendere, & ejus rei Pontifices admonere posse ac debere, pu-
blicè profitebatur. Conferatur Autor Collationis Antwerp.
ferc. 2. & 3. Quin & ipse Mechlinensium Archiepiscopus exe-
cutioni constitutionum Pontificiarum se opponere, & in
declaratione Anno 1649. editâ scribere veritus haut fuit:

E

Non

Non deesse, qui bullas Pontificias etiam in materia fidei & doctrine
licet suspendi posse existimant: Etiam in his, quae ad fidem spectant,
ut omnino recta credenda sit Pontificalia decisio, multa requiri: At-
que in Galliâ etiam fulminibus illis Papalibus auctos magis
quam fractos esse Jansenistarum animos compertum est.
Sed vicerunt tandem Jesuitarum phalanges bullâ Alexan-
dri, atque aulæ Regiæ favore armatae, uti ex literis amici
tum temporis in Galliâ degentis refert B.D. Dorschæus Dis-
sert. Anti Ferrian. 2. p. 14. 15.

§. 24. Scriptis etiam acriter certatum est inter utri-
usque partis Doctores: Et Jansenistæ quidem adversarios suos,
Molinistas alias dictos, Calvinismi, hi verò illos Pelagianismi ac-
cussabant, Jesuitis in primis infesti, ut inter alia ex librô *Syn-
thesis*, quem ante biennium sub titulô *Nova Heresies Jesuitarum*
typis evulgârunt, constat. Sed nec ipsi Jesuitæ, dum Calvi-
nismum imputant Jansenistis, ab hâc labe immunes se præ-
stant. Taceo cœteros: Unus nobis hâc vice sufficerit Bel-
larminus, quem cum Calvinianis absolutum, & omnium
conditionum ordine præcedanearum exclusivam prædesti-
nationem, juxta cujus tenorem gratia efficax electis pro-
pria subministratur, statuere, pridem demonstravit B.D. Hül-
sem. Disp. 2. de auxil. grat. cap. 1. th. 17. §. 2. 3.

§. 25. Satis ac fortè prolixius justus de origine & con-
tinuatione certaminum de gratiâ & Prædestinatione dictus,
Formandus nunc erit status controversiæ. Non est quæstio
(1) de voluntate signi, sed de voluntate beneplaciti: non (2) de vo-
luntate saltem præcepti, sed etiam de voluntate decreti: non (3) de
affectu simplicis atque inefficacis complacentiæ, seu de nudâ ali-
quâ velleitate nihil omnino gratiæ causante, sed de volunta-
te efficaci ac productrice catholicorū salutis mediorum: non (4) de vo-
luntate irresistibiliter vitam peccatoris operante, sed de vo-
luntate secundum potentiam sapientiæ divinæ modiscatam agente:
non

non (5) de voluntate absolutâ, an scilicet DEUS velit omnes homines salvos fieri, quocunque ii se modō habeant; sed de voluntate ordinatâ, & ad finem ac media, quibus illa accenditur, determinata: nec (6) queritur; An nullâ prorsus ratione DEUS velit peccatorem perire: Concedimus enim, DEUM velle voluntate consequente ac judiciariâ damnare quemvis impoenitentem; quemadmodum etiam voluntate consequente solos finaliter credentes actu salvare constituit: Sed quæstio est de voluntate antecedente, annon juxta eam omnibus in universum hominibus vitam & salutem seriò & sincere destinârit?

§. 26. Nos affirmamus: Calviniani, &, qui cùm ipsis faciunt, negant. Geminô autem argumento è textu nostrô Ezechielicô de promtô affirmativam nostram hâc vice stabilitum imus. Argumentum primum esto:

Qui sanctissimè jurat, se prorsus nolle mortem ullius impii, sed velle potius ejus conversionem & vitam, is neminem impiorum ex absolutâ aliquò odiò reprobat, sed potius voluntate antecedente omnes vult salvos fieri.

Atqui DEUS sanctissimè jurat &c. E. &c.

Major probatur, quia opponuntur sibi contradictoriè, velle mortem peccatoris, & nolle mortem peccatoris: notum autem est: alterum contradictiorum affirmari vel negari de quolibet. Minor constat ex textus exegesi, ubi evictum, DEUM ne quidem illius, qui ob culpam præcedam jam mortuus est, mortem velle. Argumentum alterum:

Qui impium à voluntariâ & evitabili malitiâ mortem causante, seriò debortatur, & ad resipiscientiam salutarem patheticis verbis adhortatur, is & donia absolutâ non vult mortem peccatoris, sed emnes & singulos voluntate antecedente vult salvos fieri.

Atqui DEUS &c. Ergo &c. Major probatur, quia frustranex

& illusoriarum dehortationes essent & adhortationes haec, si absolu-
tum est deo DEUS morte peccatoris vellet. Minor constat ex
texru, in quod DEUS promiscue domum Israel seu Israëlitas
alloquitur, quos inter plures fuisse reprobos, indubium est.

§. 27. Varia ad haec excipiunt adversarii: (1) intelligi
hic mortem non spiritualem, & æternam, sed mortem tem-
poralem corporis & violentam. Ad quod responsum jam
antè est cap. proximè præcedente §. 10, 11. (2) Sermonem
esse tantum de impi poenitentiam acturum: ad quod etiam
suprà repositum fuit, quod non tantum impius conversus,
sed & ^{רֹאשׁ} moriens, seu is, qui jam mortuus est ex vers. 32.
cap. 18. hic intelligendus sit. (3) DEUM non delectari morte
juxta emphasis verbi Hebr. ^{וְנִ}: interim tamen eam velle,
ad quod prolixè responsum vide in exeg. §. 5. (4) Hanc vo-
luntatem esse signi, non beneplaciti. Resp. DEUS non est
Hypocrita, aut mendax ac mutabilis. Num. 23, 19. Ps. 33, 4.
Summa in immutabili & sibi semper constante Ente cordis
& oris harmonia. Quæ se velle dicit, ea verissime vult, &
quæ se nolle ait, ea quoque serio nolle censendus est. Impium
ac blasphemum est, fingere in DEO contradictorias vel con-
trarias voluntates. Accurately Svarez in Thom. lib. 3. de at-
trib. Div. c. 2. *Voluntas signi*, inquit, ac signum voluntatis sem-
per debet indicare in DEO aliquam veram voluntatem, alias non es-
set verum signum, nec nomen voluntatis mereretur: sicut homo pi-
ctus, nisi verum hominem representaret, nec analogice homo dici
posset.

§. 8. (5) DEUM velle omnes homines converti &
salvari voluntate precepit, non voluntate decreti, hoc est, non
velle voluntate propriè sic dicta omnes homines converti
ac salvari; præcipere tamen & jubere converti omnes,
eos etiam, quos nunquam conversum iti præsciverit,
nunquam convertere decreverit, immo per verbum prædicatum

tum indurare intenderit. Ità præter alios Wendelinus Exerc.,
39. §. 7. Resp. (a) DEUM simpliciter & nullò modō, & ne qui-
dem voluntate, quam antecedentem orthodoxi vocant,
velle converti & salvari omnes, id contra expressam textus
nostrī & locorum parallelorum literam est. (β) Quibus non
tantum injungit conversionem, sed etiam media conversio-
nis & salutis subministrat, eos etiam converti & salvari vult,
voluntate non tantum præcepti, sed etiam voluntate de-
creti seu beneplaciti. (γ) Præceptum ipsi Wendelino Ex. 13.
§. n. impropriè voluntas est. At à nativâ verborum signifi-
catione in locis præsertim classicis recedere prohibemur,
nisi analogia fidei vel locus verè parallelus jubeat. (δ) à oīsa-
m & contradictorium est: DEUM aliiquid præcipere, nec
tamen velle ullò modō, quod præcipitur. Peccatum sanè
præciperet, si exigeret ab homine aliiquid, quod ipse nullò
modō fieri vellet.

S. 29. (ε) DEUM velle omnium vitam voluntate,
Cæsias, non voluntate & doxias: Quam distinctionem mu-
tuantur Reformati nostri ex Chamieri sui Panstrat. Cathol.
Tom. 3. lib. 3. de Ptædest: c. 6. & doxias, inquit ille ibidem, est,
quà DEUS decrevit aliiquid suò tempore fieri, ad quam refertur
prædestination: Cæsia, quà vult hoc illudvè ab hominibus juxta
sua precepta, seu ex officiō. Quemadmodum v. g. DEUS vult
filium optare longos annos Patri, nec tamen vult ipsi dare. Sic DE-
us vult omnes homines salvare, id est, tendere ad salutem, necta-
men vult ipse omnibus dare salutem. Hactenus Chamier. Resp.
(a) Distinctio hæc nullibi in Scripturis habet fundamen-
tum. Locus præsens Ezechielis nihil pro ea facit: Nam
vivocis Hebraæ ψ̄ DEUS & non delectatur, & non vult
mortem hominis, ut suprà in exegesi dictum. Sic nec lo-
ca Rom. 12. 1. Col. 3. 20. In priori enim dicitur, corpus no-
strum, si fiat hostia viva & sancta, & cæsuv r̄ Je: at D E O
E 3 non

non tantum placet, si corpus nostrum talis hostia fiat, sed
serio etiam vult illud, & ut praestari id à nobis possit, vires
sufficientes in renovatione largitur. In altero loco dici-
tur, obedientiam filiorum esse θάρητον καὶ εὐελπίην: at & hoc
serio vult DEUS voluntate beneplaciti, &, ut possint libe-
ri id praestare, vires sufficientes iis donat. (β) Malè pro op-
positis habentur θάρητια & θάρητια divina. Quod vult DEUS
voluntate complacentiae, acquiescentiae, delectatione (id
enim importat vox θάρητια) id etiam suò modò vult volun-
tate θάρητιας: Et quæ placent ipsi, seu quibus delectatur,
ea etiam vult atque approbat, eò modò, quò placent. (γ)
Chamier æquè crassus hic est, ac reliqui Calvinistæ: dicit
enim eatenùs velle DEUM omnes homines salvos fieri, quatenus
velit omnes homines tendere ad salutem, quamquam non omnibus
velit salutem dare. Atque hæc ipsi voluntas θάρητιας est. Sta-
tuit nimirum voluntatem aliquam inefficacem in DEO, quæ
velit equidem homines tendere ad salutem, non tamen ve-
lit media efficacia salutem procurantia omnibus largiri,
quia nec salutem omnibus dare velit. At hæc voluntas inef-
ficax D E O sine blasphemia tribui non potest, & repugnat
omnibus illis dictis, quæ benevolam DEI voluntatem eam-
que seriam & juramento confirmatam inculcant. (δ) Ma-
nifestè pervertit Chamier verba Apostoli, qui i. Tim. 2,4 di-
cit: D E U S vult omnes homines σωθῆναι seu salvos fieri: at hoc non
est, velle omnes tendere ad salutem, quam tamen non velit dare
omnibus. Pugnant certè hæc respectu DEI: Velle omnes
salvari seu salvos fieri, & non velle omnibus salutem dare:
sicuti pugnant, velle omnes salvare, & non velle omnes sal-
vari. Quos D E U S vult salvare seu salvos fieri, iis etiam vult da-
re salutem, quia velle hominem salvare est velle salutem dare.
At vult DEUS omnes homines salvare. Ergo omnibus etiam vult
salutem dare.

§.30.

110

§. 30. (7) Si DEUS omnium hominum salutem vellet, utique omnes salvos fieri ex Psal. 115,3. Resp. Si DEUS omnium salutem vellet voluntate absolutâ, utique omnes salvi fierent. Vult verò illam non absolutâ voluntate, sed ordinatâ, seu certis mediis Divinitus constitutis adstrictâ. Conf. cap. præced. §. 8 & 14. Atque inde non mirum est, si ea non semper impleatur; non enim servatur semper ab hominibus ordo divinitus præscriptus, nec usurpantur media, per quæ illos ad salutem ducere DEUS intendit. Dari verò aliquam in DEO voluntatem, quâ DEUS serio aliquid velit, quod tamen ob absentiam inclusæ conditionis non fiat aut implatur, patet ex locis Es. 65, 12. 66, 4. Matt. 23, 37. Luc. 7, 30. Act. 7, 51. Quæ voluntas ordinata etiam in aliis objectis extra salutis negotium conspicitur. Conf. Gen. 18, 26. 28. 29. 31. 32. Ex. 19, 5. 23, 22 seqq. Lev. 26, 1 seqq. Deut. 7, 12. seqq. 28, 1. seqq. 1. Sam. 13, 13. 14, 1. Reg. 9, 4. seqq. Jer. 18, 7. 8. 9. 10. Locus Psal. 115. impertinenter allegatur. Loquitur enim de voluntate DEI non ordinatâ, sed absolutâ.

§. 31. (8) Secuturum esse, DEUM frustrari sine suâ, si voluntas ejus non impleretur, adeoque dari voluntatem quandam DEI, quæ sit inefficax. Resp. (a) Si DEUS absolutè intenderet omnium hominum salutem, & sine reflexione ad ordinem à se constitutum, neque decrevisset eam non obtinere, non servatò ab homine ordine illò divino, tunc demum dici posset, eum frustrari suo fine. (β) Uti nulla volitio divina sterilis & infœcunda est, ita etiam voluntas illa DEI benevolia circa omnium salutem occupata, quandò finem à se intentum ob impedimentum à créaturâ malitiolè positum non assequitur, non itâ inefficax est, ut planè nihil operetur, adeoque nullâ ratione attingat finem Divinum. Efficax ea est ab æternô, in destinatione & ordinatione mèdiorum salutis; efficax in tempore, in salutis ab æternô voli-

tæ

et propositione & oblatione per verbum & Sacra menta;
atque operosa in non paucis ἐνεργήσασι, etiam si universum ἀν-
τίλεται, quod primò intenderat, non assequatur. (γ) Efficax
voluntas est, quā quis rem, quae sibi placet, efficere ac consequi cupit,
ac proinde & mediis ad hunc finem ducentibus uti vult. Ità passim
horum terminorum Magistri. Conf. in primis Be canum Part.
I. Theol. Scholast: Tr. I. cap. II. q. 10. Vasquez in l. 2. Disp. III.
c. 3. n. 12. Quare voluntas propriè ex eō efficax dicitur, quod
finem efficere vel consequi per media certa intendat, sive
intentioni finis respondeat, sive minus. Ità ergo etiam be-
nevolia illa DEI de omnium hominum salute voluntas effi-
cax dicenda erit, non obstante, quod in ejus executione ab
homine ponatur obex, quippe ex quod non sequitur, quod
ipsa voluntas non sit efficax, sed quod resistatur ei, quod mi-
nus ipsa consequatur, quod antè serio intenderat. Conf. §. 7.
cap. præced.

§. 32. (9) Voluntatem & potentiam DEI ab homine non
posse impediri, alias fecuturum esse, vim maiorem & infinitam fran-
gi & vinci à minori & finitâ. Resp. (a) Ipsa DEI voluntas pro-
priè impediri nequit, impediri tamen potest ejus executio,
in quantum eam, non per potentiam suam absolutam, sed
ordinatam in tempore fieri ab æternô decrevit. Dari autem
talem voluntatem, cui in executione ab homine resisti
possit, probant loca Prov. 1. 24. 25. Es. 5. 2. 4. 65. 12. 66. 4. Matt.
23. 37. Luc. 7. 30. Act. 7. 21. (b) Impeditio illa, ut sic dicam,
passiva, non est quædam voluntatis Divinæ, ut sic dicam,
succumbentia, sed saltē suspensio operationis gratiose, seu non pro-
gresso ad ulterius operandum, ex non servato ordine prescripto orta,
dependens à libera DEI voluntate, qua decrevit omittere peculiaris
concursum gratiam, si creatura Spiritui Sancto illius conversionem
serio atque efficaciter intendant, contumaciter reluctata fuerit.
Non ergo impeditio illa seu intercisio operationis ulterioris
imbe-

imbecillitatem, sed libertatem saltem supremi agentis ar-
guit (c) Potentia DEI, quæ in actionibus ad extra per modum
principii exequentis id, quod imperavit voluntas, & habet, sem-
per præsupponit infinitam DEI sapientiam *ceu principium*
dirigens. Inde aliquandò resistentiam admittit, non ex debi-
litate virtutis in agente, sed ex ordinatione sapientiæ divinæ,
cui hoc modò & ordine agere libuit. Conf. §. 8. cap. præced.

§. 33. (10) Repugnare summæ DEI sapientiæ, ferri volun-
tate in id, quod vidit nunquam futurum esse. Resp. (a) Decrevit
DEUS ab æternô cum naturalibus agentibus producere
effectum à naturâ per se intentum. Vedit etiam ipse ab æ-
ternô huic suæ intentioni non semper responsorum esse in
tempore eventum, e. g. non semper hominem vel equum,
sed interdum monstrum à naturâ productum iri. Ità e. g.
cum Onan concurrere voluit DEUS, tanquam causa pri-
ma ad posterorum generationem, quem concursum, ordi-
nis Divini violatione ab Onane factâ, inefficacem DEUS
fore prævidit. Gen. 38. 9. 10. Quæro, annon hic intenderit
aliquid DEUS, quod tamen ab æternô cognoverit non fu-
turum? Quicquid hic nobis respondebitur, idem & sibi
ad difficultatem objectam responsum habebunt adversa-
rii. (β) Repugnaret utique sapientiæ divinæ, velle id, quod
videt nunquam futurum esse, si scilicet id *absolutè impossibili-*
le sit. At si id non culpa Creatoris, utpote sufficientes vi-
res ad existendum largientis, sed vitiō creaturæ, ordinem,
juxta quem illud fieri DEUS voluit, negligentis, non fu-
turm sit, minimè repugnat sapientiæ Divinæ id velle. Vult
enim, quod servatō ordine præscriptō fieri potest, & ad
quod sufficientes fiendi vires concedere constituit. (γ) Ea
natura voluntatis conditionatæ seu ordinatæ est, ut feratur
sæpè in id, quod vidit nunquam futurum esse, *ceu exempla*
Biblica abundè testantur. Ità volet at toti Sodomæ parce-
re,

re, si vel decem justos in eâ inveniret, utut conservationem Sodomæ ob absentiam hujus conditionis non-futuram præviderit Gen. 18,26. 28. 29. 31. 32. Sic volebat confirmationem regni Saulis, si hic morem gereret mandatis divinis, ut ut ab æternô viderit, impii Principis regnum non diu substiturum 1. Sam. 13, 13. 14. Eandem felicitatem sub pari conditione destinârat posteris Salomonis, quâ tamen suô virtù carituros ipsos ab æternô cognoverat 1. Reg. 9. 4. seqq. Itâ decreverat Israëlitis benedictionis suæ affluentiam, quorum tamen interitus ipsum fugere haut poterat. Ex. 19. 5. 23. 22. Ley. 26. 1. seqq. Deut. 7. 12. seqq. 28. 1. seqq. Simili ratione etiam vult omnium hominum salutem sub certâ mīzā, utut ab æternô viderit, non omnes ob neglectum constitutæ mīzā salutem adepturos. Quæ Maccovius in loc. Com. de DEO c. 23. p. 184. nec non Emdenses in actis Synodi Dordr. circa art. 2. quæst. 7. p. 602. seqq. objiciunt, datâ occasione in conflictu, DEI adjuti ope, diluemus. Sanior his est Ludo- dovicus Crocius, qui voluntatem conditionatam nobiscum agnoscit Syst: Theol. lib. 3. cap. 16. p. 594.

S. 34. (1) *Friolans atque omni desitutam fundamentum distinctionem illam esse, juxta quam voluntas alia antecedens alia consequens dicitur: Inepta itaque dici, DEUM voluntate antecedente omnium salutem velle, immo hoc ipsò impiè statui in DEO duas pugnantes voluntates.* Resp. (a) nec inepta, nec impia est distinctio hæc, ut mox probabitur. Usi eâ jam pridem fuere in accuratori catholicae DEI benevolentia explicacione pii Patres: Seculô tertio Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 11. Quartô, Chrysostomus in Ep. ad Ephes. cap. 1. hom. 1. p. 1036 & in Ep. ad Hebr. cap. 10. hom. 18. Octavô, Damascenus lib. 2. Orthodox. fid. c. 29. circa fin. & de hæresi Manich. p. 563. Undecimo, Theophylactus Chry-

Chrysostomi abbreviator in Ep. ad Eph. c. i. v. 5. & Anshel-
mus Cantuariensis in Matt. c. 6. Ex Calvinianis fautores
habet Ludovicum Crocium Synt. Theol. l. 3. c. 16. &, quos
ibidem citat, Zanchium, Perkinsium, Rollocum, Polanum,
Aretium. Neque audent distinctionem hanc simpliciter
rejicere Molinæus in Anat. Armin. cap. 5. & Walæus in resp.
ad Corvini Censuram cap. 4. Et Crocius quidem l. c. eti-
am ad argumenta sociorum contradictientium prolixè re-
spondet; at quæ sua & ὁμοψήφων de voluntate antecedente
mens sit, mox prodit, quando eā definit actum simplicis compla-
centie, quò DEUS respectu suæ naturalis potentie, sapientie ac bo-
nitatis, omnibus suis creaturis bene velit, & ad iis, quæ talibus, be-
nefaciendum propendeat. Est ergo his voluntas antecedens
nihil aliud, quam benevolentia quædam homini cum cre-
aturis cœteris, quæ talibus, communis, inefficax, atque ab o-
perosa mediorum salutis destinatione remotissima.

§. 35. (β) Distinctio hæc non fit ex parte ipsius volunta-
tis, quæ cum ipsâ simplicissimâ DEI essentiâ est unus sim-
plicissimusque actus, ac proindè hæc ratione nihil hic ante-
cedens, nihil consequens dici aut singi potest; sed ex parte
objectorum atque connotatorum suorum. (γ) Antecedens
voluntas est, quaterminatur ad hominum salutem sub ratione
mediorum, quatenus hæc ex parte DEI «quæ omnibus ordinata»
sunt: Consequens autem est, quæ terminatur ad hominum sa-
lutem sub ratione mediorum, in quantum ea ab hominibus vel sine
obstaculo admittuntur, vel obice objecto non acceptantur: Verbo:
antecedens voluntas ordinabilitatem hominum ad salutem
ex seriâ mediorum catholicorum destinatione ex parte
DEI profluentem: consequens ipsam ordinationem ad salu-
tem ex actuali mediorum usurpatione ex parte hominum
provenientem connotat. (δ) Antecedens hæc & conse-
quens voluntas fundatur in omnibus illis scripturæ dictis,

quæ modò DEUM omnium hominum salutem velle, modò eos saltem, qui in fide usque ad finem vitæ perseveraturi sunt, actu salvare demonstrant. In primis vero utraque hæc voluntas graphicè describitur in loco classico Joh. 3. 16. (e) Voluntas hæc antecedens non inefficax est, sed efficax, utpote cuius actus formalis consistit in destinatione sufficientium ac efficacium salutis mediorum pro reparandò universo genere humano lapsò. Non ergò nudā quandam velletatatem & simplicem complacentiam, sed actum prosecutivum formaliter illa infert. Conf. §. 7. cap. proximè præcedentis. (f) Non pugnant voluntas DEI antecedens & consequens: Ad hoc enim, ut aliqua inter se pugnent, requiritur, ut circa idem objectum ὥστας seu eodem modo spectatum opponantur: At voluntas antecedens & consequens, quanquam circa unum idemque objectum, hominum nempè salutem occupatae sint, non tamen versantur circa idem ὥστας seu eodem modo, ut ex antecedentibus constat. Nulla ergò hic pugna: Opponimus Reformatis Reformatum Ludovicum Crocium, qui l. d. p. 598. ita scribit: *Neque contrarie voluntates DEO affingi possunt ex natura. Prædictæ gratia DEI, quam voluntatem antecedentem vocant, quæ homines ut homines salvare vult, & actu voluntatis consequentis, quæ DEUS infideles & contumaces, quæ tales, condemnare decrevit.* Ratio enim diversitatis nimis liquida est, vel ex reliquis divinae imaginis in nobis, qui liberos nostros omnes, quæ tales, amamus: immorigeros vero eosdem exhorteramus citra injuriam aut contradictionem & inconstitiam voluntatis nostræ, ut alias solutiones hujus sophismatis omittam. Hæc ille. Cœteris objectionibus, quas adversus distinctionem hanc concessit Maccovius in LL Comm. de DEO cap. 23. p. 189. seqq. in actu Disputationis bono cum DEO satisfacti sumus.

§. 36. Opponenda hæc, quæ de Universali gratiâ diximus,

ximus, sunt. I. Calvinianis, quos in præcedentibus in *Supralapsarios & Sublapsarios* distinximus; qui tamen in oppugnatiōne fundamenti salutis catholici prorsū concordes sunt, quanquā gradu dispariū alii enim *crassius*, alii *subtilius* venenū hoc incautioribus propinant. Inter crassiores primas tenent, qui DEUM duplēm hic induere personam statuunt, ut aliud sentiat intus, aliud loquatur extus, voluntate signi velit omnes salvari, voluntate beneplaciti non velit omnes salvari, sed plerosque ex absolutō odiō interire. Videantur Calvinus super cap. 18. Ezech. & ad 1. Tim. 2. 4. Beza in responſ. ad acta Colloq. Mompelg. Zanchius lib. 3. de naturā DEI cap. 4. & lib. 5. cap. 2. q. 3. th. 1. n. 8. fol. 563. Petrus Martyr in LL. Comm. Clasi. I. c. 14. n. 38.39. Piscator contra Hemmingium de gratiā DEI, aliique. Cœteri, quanquam priorem sententiam, quantum ad voluntatem DEI simulatam & à voluntate interiori discrepantem attinet, verbis non approbare videantur, cum iisdem tamen commune hoc habent, quod dicunt: *DEUM nunquam voluisse, nunquam velle, efficaciter omnium hominum salutem.* Ita Paræus, Dordrechta ni Synodales in judiciis Provincialibus & extraneis art. I. de prædest. Emdani in suō judicio circa artic. I. de præd. q. 13. p. 595. Petrus Molinæus in Synodō eadē p. 409. Palatini p. 513. Hassiaci p. 534. Synodus universa can. 8. p. 347. Wendelinus in Theologiâ Iuâ & Exercitationibus passim. Atque hi varia impietatis suæ querunt opercula: desertâ enim quandoque distinctione inter voluntatem signi & beneplaciti, quidam distinguunt inter genera singulorum & singulos generum: alii propositiones categoricas Universales à Scripturâ nobis suppeditatas restringunt ad solos Electos: alii eas exponunt reduplicative hoc sensu: *DEUS vult omnes salvari, qui salvantur;* quomodo quis dicere possit: Hic Magister docet omnes pueros hujus civitatis, non quodd omnes omnino doceat,

sed quod nemo doceatur, nisi quem ipse doceat. Ad quas
sociorum argutias Reformatorum primipilus Daniel Chamier Tom. 3. Panstrat. lib. 3. cap. 6. p. 105, postquam acriter
perstrinxisset distinctionem inter genera singulorum & sin-
gulos generum: Non est, inquit, bona ratio: Orate pro Nerone,
quia DEUS vult aliquos Imperatores salvare. Et paulo post: Quid
infantius, quam si dicas, DEUS non vult ullos perire eorum, qui ser-
vantur? Non vult mortem peccatoris, quem vult servari: Orate
pro Nerone, quia DEUS vult servandos servari? Hactenus ille.
Malunt itaque alii distinguere inter voluntatem praecepti & de-
creti, alii inter voluntatem evanescas & evagescas. Alii aliter pessi-
mæ causæ patrocinari conantur. Et quidem ita hic vari-
ant, ut vel unius loci 1. Tim. 2. 4. sedecim minimum numerus
rare possis Fratrum Cadmæorum expositiones, quæ tamen
ita comparatae sunt, ut una alteram perimat ac tollat. Quod
ex parte vel ipse prodit Chamier suos invicem commit-
tens l. d.

§. 37. Subtiliores ac molliores sunt, qui universalem
gratiam equidem asserunt & urgent, & adversus socios dis-
sentientes publicis scriptis defendunt, eandem tamen gra-
tiam, pro quâ tantoperè pugnant, suspendunt à conditione
ex DEI intentione prorsus impossibili, si sicut omnes homi-
nes possint & velint credere. Ita Doctores Salmurienles, Johan-
nes Camero & Moyses Amyraldus, Johannes Bergius, Con-
cionator quondam Aulæ Electoralis Brandenburgicæ in li-
bellô Germanicô: Unterscheid und Vergleichung der Evange-
listchen / cap. 3. von dem Willen Gottes wegen der Seeligkeit und
Verdammisß der Menschen; Ludovicus Crocius in præfat. Dy-
dec. Dissert. Exeget. & Apologet. Syntagmatis, & in Syntag-
mate ipsò lib. 4. cap. 1. Cujus sententiam valde laudant pro-
bantque Josephus Hallus Episcopus Exoniensis in Angliâ
in literis 1640 die 27. Julii ad Crocium datis, Hildebrandus
fol.

fol. 24.25. dedicat. in declarat. Reformati Thorunienses in
in Confessione suâ: quibus pridem præiverat Paulus Stein-
us, Ecclesiastes Aulicus Cassellanus, in libello, sub titulo.
Evangelischer Kirchen-Brüderschafft/ edito cap. II. §. 37. Verum
differt nonnisi verbis hæc Hypotheticorum sententia à com-
muni Reformatæ Ecclesiæ errore: Sub universali enim hy-
potheticâ non subsumunt affirmatè, quod faciunt Luthe-
rani; sed negative, adeoque in hoc puncto cum reliquis Cal-
vinistis ex ase consentiunt, quòd scilicet DEUS absolute, quia sic
placet, nolit dare omnibus & singulis facultatem apprehendendi be-
neficium sub hypothesi propositum. Ita Hypothetici hi duo aor-
gum dicunt: DEUM serio velle omnes homines salvari, & tamen
nolle eis omnibus fidem dare. Universalis itaque illa hypothe-
tica mere illusoria est; supponit enim conditionem ex DEI in-
tentione prorsus impossibilem. Rectè B. D. Mentzerus in An-
tistein. Disp. 7. th. 50. Ligato, inquit homini manus & pedes ca-
tenis, & projicito eum in foveam, eique proponito amplissimam banc
promissionem: Regnabis in cælō, si exieris. Annon illudere te, & in-
sultare homini misero omnes sani judicabunt? Ita catenis peccato-
rum vincito homini promittis aternam vitam, si credat, cui tamen
DEUS absolute decreverit nolle dare fidem, nec eam Christus ac-
quisiverit, neque Spiritus Sanctus donare dignetur. Et unde cre-
dat? Quâ facultate? Quâ virtute? Et quid credere? Nunquid quod
verum est, nempe quod non credere possit, nec credere debeat jux-
ta decretum DEI absolutum? Hoc est, ut paucis complectar, credet,
quod non credat. Hæc B. Mentzerus.

S. 38. Idem animadverterunt Calvinistæ sinciores
in Belgio, Spanhemius, Rivetus, Doctores Facultatis Theo-
logicæ in Academia Leidensi in judicio Exercitationibus
Spanhemii contra Amyraldum præfixo. Et Spanhemius
quidem propositionem illam hypotheticam vocat bistro-
nicam, illusoriam, derisoriam, aquæ atque banc: Ille Empiricus vuln.
omnibus

Omnibus cœcis visum restituere , si omnes videre possint. Rivetus etiam in Ep. ad Ludovicum Crocium Dissert. Spanhemii præmissâ: Experientiâ, ait, compertum est, sententiam vestram non magis Remonstrantibus satisfacere, quam nostram; et si existiment, Nos convenientius agere, vos pugnantiū dicere. Et in epistolâ ad eundem d. 26. Aprilis anno 1640 datâ: Miror, si hæratione existimatis, Vos Lutheranis & Arminianis satisfacturos, qui non sine ratione videntur vobis accuseru objicere. Sed & Doctores Facultatis Theologicæ Leidensis audiamus. Ità vero illi l. d. scribunt: Speciose quidem prætenditur gloria Patris & Filiæ in universalis illâ miseratione & redemtione simul cum universalis bono omnium hominum perditorum, modò redemtionem istam fide amplectantur. Verum (qua mentis nostra est hebetudo) quomodo vel hæc vel illa, vel in in utrâque & DEI gloria, & possibilis omnibus in universum hominibus redemtionis applicatio asseri & defendi posset, stante iūa particulari electione & spiritu Sancti in speciali vocatione efficaci gratiâ, videre hactenū non possumus. Quæ enim gloria ad DEUM redibit ex universalis Patris miseratione & Filiæ redemtione, non accidente Spiritus Sancti efficaci applicatione?

S. 30. Quod ad J. Bergium & L. Crocium spectat, fatemur, eos mollioribus uti verbis, & Lutheranorum sæpè loqui lingua, ex quô tamen mentem etiam orthodoxis esse ἐποψίᾳ, nemo prudentiorum sibi tutò promittere ausit. Audiamus Bergium, qui l. d. c. 3. p. 84. quæstionem sic format: Ob Gott gar nicht wolle daß alle Menschen seelig werden? Respondet verò ita: Gott ist von Natur gütig und barmherzig gegen alle Menschen. Er ist aber auch ein gerechter und eyfriger Gott wieder die Sünde der Menschen. Derhalben hat er zwar für sich kein Wolgefallen an einiges Menschen Verdammnüs/sonderwil / daß sich jedermann zur Busse fehre und lebe: Jedoch der gestalt/ daß er auch nach seiner Gerechtigkeit die sich nicht befehren/ richthen und straffen wil; Verum non intelligit hæc Bergius

gius de voluntate DEI efficaci, sed de affectu simplicis complacentia, quod pro bonitate sua naturali omnibus creaturis suis bene vult, & ad iis, quae talibus, benefaciendum propendet; quomodo a Crocid definitam esse antecedentem DEI voluntatem supra audivimus. Atque hanc etiam Bergii esse mentem patet ex allegatis dictis Ps. 155, 6. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus supra omnia opera ejus.* Sap. 11, 25. *DEUS diligit omnia, quae sunt in natura, & nihil eorum, quorum est effector, abominatur &c.* Matth. 5, 45. *Pater viser, qui in caelis est, solem suum oriri facit super bonos & malos &c.* Quae certe dicta non de gratia catholica salutis media dispensante, sed de gratia ex creatione redundantem, hominique cum reliquis creaturis communi loquuntur. Item p. 88 Dass es dennoch auch der wahrhaftie/ernste/innerliche Wille Gottes sei/ was er will/dass die Menschen auf schuldigem Gehorsahm thuen sollen &c. Siquis haec verba paulo attentius consideret, videbit faciliter Bergium de voluntate DEI hic & alibi adeo speciosè loquentem, non intelligere voluntatem decreti, sed voluntatem pracepti, ut loquuntur, quemadmodum ipse in terminis terminantibus habet, quando ait: Dass es dennoch auch der Wahrhaftie/ernste/innerliche Wille Gottes sei (nicht/das alle Menschen sollen seelig werden/sondern) was er will/dass die Menschen auf schuldigem Gehorsahm thuen sollen. Ita quando pag. 86. ait: *DEUM velle omnium hominum salutem (1) voluntate approbante (2) præcipiente & permittente (3) operante, (4) non tamen necessitante: per voluntatem approbantem nihil aliud intelligit, quam voluntatem simplicis complacentia.* Ita voluntatem approbantem & voluntatem evagescere seu complacentia simplicis expressè synonymis habet in Tract. German. Von dem Willen Gottes von aller Menschen Seeligkeit cap. 7. p. 41. Quando præcipientis voluntatis facit mentionem, nihil innuit aliud,

G.

quam

quām quod socii alias concedunt: Exigere DEUM, ut omnes homines pœnitentiam agant, & credant. Voluntas verò operans ipso est, quæ saltem in externâ verbi propositione occupata est; minimè verò voluntas ipsius regenerationis & Conversionis productiva. Opponitur enim voluntas Bergio operans dicta voluntati necessitati, hoc est, efficaciter & irresistibiliter convertenti, quæ in solos electos fertur. Quicquid dicat Bergius, suspendit sanè communem mediiorum salutis ordinationem, quam verbis profitetur à prædestinatione absolutâ & purò putò DEI beneplacitò. Explicans enim receptam atque ab se approbatam Ecclesiarum Reformatarum doctrinam n. 64. p. 109. ait: daß der Unterscheid und Ungleichheit der Gnaden Gottes nicht aus ansehen des guten oder bösen &c. sondern aus seinem freyen Willen und Wollgefallen herrühre. Et n. 64. p. 129. de reprobis sic loquitur: Dass er sie nicht eben zu solchen Gnaden / wie die andern/ dadurch sie in der That gläubig und also gewiß seelig würden/ erwehlet hat/das stehtet allein in seinen freyen doch gerechten Willen &c. Ità n. 82 p. 157 docet DEUM non velle omnibus hominibus fidem in Christum conferre, non omnes æquali salutis intentione & pari efficacia affectu vocare, mit gleicher intention der Seeligkeit und gleicher affection dieselbige zu wircken &c. Et in Tractat. Germ. Von den Willen Gottes von aller Menschen Seeligkeit ap. 9. p. 55. scribit, daß die Ursach/warumb er den Glauben in etlichen wircket/ sei einig und allein (NB) in der sonderbahren Gnade Gottes gegen seine außerwehlsten &c.

S. 40. Hæc de Bergio, nunc de altero Crociò nempe, qui illò multò liberalior esse videtur, aliquid dicendum erit. Ità verò ille in Syntagm. Th. lib. 3. c. 1. p. 939. Sunt autem, inquit, principia salutis humanae, gratia tūm pater-

na miserationis, tūm fraterne redēctionis, tūm superne DEI vocationis. Quod p. 961. in med. itā explicat. Fundamentum propositae divisionis petendum est ē sequentibus dictis. Quantum ad primam (gratiā nempē paternā miserationis) ad Rom. II, 32. DEUS conclusit omnes sub incredulitatem, ut omnium miseretur. Quantum ad alteram (gratiā fraternæ redēctionis) i Joh. 2,2. Ipse propriatio pro peccatis nosiris &c. Quantum ad tertiam (gratiā vocationis) Luc. 24, 46, 47. Et dixit eis: Itā scriptum est, & itā oportuit Christum pati, & resurgere ex mortuis tertio die & prædicari ejus nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes incipiendo in urbe Hierosolymorū. Qua dicta (pergit idem) sunt interpretamenta prima promissio-nis Evangelicæ Gen. 3, 15. tamque illustria, ut quicquid lucis humana affundant ingenia, præ illis merissime sint tenebrae &c. Describit postmodum p. 662. primum salutis nostræ fundamentum, Gratiam scilicet paternæ miserationis. Itā verò ejus verba habent: Gratia paternæ miserationis est primum salutis humanae principium, quō DEUS totum genus humanum itā complectitur, ut velit omnes homines salvos fieri, eisq; secundum sapientiam & iustitiam suam media salutis amplissima ordines ac determinet. Explicat deinde ex dicto Joh. 3, 16. objectum gratiæ paternæ miserationis, quod dicit esse totum genus humanum, ut miserum & peccatō inquinatum; ubi etiam vocem mundus in dicto Johanneo allegatō non credentes tantum (quæ ali-às communis fratrum sententia est) sed totum genus huma-num universē sumtum, prout naturā in peccatō jacet, & com-muniter per Evangelium ad pœnitentiam & fidem in Christū vocatur, secundū illud Marc. 16, 16. & i Joh. 2,2. (quæ loca ipse hic allegat) denotare rectè probat. Posunt etiā conferri, quæ idem Crocig habet p. 967. ubi amplitudinem gratiæ positam esse ait in dono, in postulatō, & in promissō. In primis verò quæ habet p. 970. nec non 674. ubi hæc legim⁹: DEUS mundum vi novi illig fœderis gratie in Christō itā dilexit, ut non solum secundum iustitiam

G 2

suam

suam obedientiam exegerit, & vitam promiserit, sicuti in veteri
faedere legis; Verum etiam per gratiam suam tum illud, quod in
Evangelio postulat, nempe obedientiam fidei, tum quod in
eò promittit, nempe certissimam consolationem remissionis omnium
peccatorum & vite aeterna efficaciter operari & largiri velit; ita ta-
men, ut fidem non per nudam omnipotentiam suam & mera mira-
cula in hominibus operetur, aut eos quasi violenter ad fidem cogat
&c. Seditia ut per lucem, quae est Filius ipsius unigenitus, veram, in-
quam lucem, quae in hunc mundum venit, ut homines ad fidem illu-
minet, convertat & beat, nempe per lumen verbi & Spiritus ejus
in Evangelio &c. Quæ prolixius apud eum deducta legi pote-
runt. Ubietiam sub finem hujus capitinis primi pro se alle-
gat Bergii explicationem dicti: Sic DEUS dilexit mundum,
Berolini anno 1629. vernaculô idiomate editum. Confe-
ratur idem Crocius in præfat. Dissertationum Exegeticar. &
Apologet., ubi etiam provocat ad consensum totius Eccle-
siæ inferioris Hassiæ.

S. 41. Verum ut speciosè ista dicantur, nemo tamen
nostratum, si sanus sit, latere hic anguem in herbâ non cre-
diderit. Nam (1) voluntatem universalem vocat actum sim-
plicis complacentia & approbationis Syntagm. lib. 3, c. 16. p. 599
(2) voluntatem antecedentem aliquò saltē modō, nempe respe-
ctu mediorum, non autem respectu effectus & donis esse ex Rivo-
tero afferit Dissert. 7. de grat. univ. Th. 26. (3) in præfat. Dissert.
Exeget. & Apologet. protestatur, se divine gratia erga genus
humanum amplitudinem urgere, salvâ speciali & invincibili gratiâ,
quæ etiam mollioribus Calvinistis non alia est, quam quæ ex
ab soluto decreto fluit. Vide eundem in Dyodec. Disp. 10
de grat. Redempt. n. 44 p. 596. (4) Causam, cur non omnes
serventur, proximam esse ait, quia non omnes velint: primam esse
quia DEUS non in omnibus efficiat, ut velint. Causam vero cur hoc
non efficiat DEUS, non statuit in homine media divinitus or-
dinata negligente & contemnente, sed in ipso DEO ejusque ar-
canis

canō consilio Diff. 8. de Vol. DEI n. 18. p. 401. (5) *Decretum electionis Diff. 9. n. 86.* eādem, quā cāteri Calvinistā, ratione, facit primum principium, unde dependeat & estimanda sit gratia redēptionis in Christō destinata, nec non gratia vocationis, sive efficiacia & operatio Verbi Divini & Spiritus Sancti, quā electi p̄e aliis actu vereque reddantur credentes, indeque fideles DEI filii ac beatī fiant. (6) Negat universalitatem meriti Christi, uti suo loco probabimus.

§. 42. Opponimus II. doctrinam Orthodoxam de Universalī DEI gratiā Jansenistis, de quibus suprā dictum, & reliquis Pontificiis Calvinientibus, Dominicanis non tantū, sed & ipsis Jesuitis Dominicanos cum Jansenistis Calvinismi argumentibus. Properamus ad finem. Satis itaque erit, hāc vice, unum allegāsse Bellarminum, cuius suprā etiam mentionem injecimus. Evidem libr. 2. de grat. cap. 5. statuit is: *Gratiā ad salutem sufficientem pro loco & tempore omnibus dari: quem in finem etiam dicta Scriptura & universalitatem gratiae adstruentia allegat, atque expresse addit, ea non debere ad electos restrin-gi:* & cap. 3. ait: *DEUM velle omnes salvos fieri voluntate antece- dente.* Sed & hīc latet anguis in herbā: Voluntatem enim antecedentem opponit voluntati beneplaciti, ut ex proximè antecedentibus verbis constat; ac proinde voluntas antecedens nihil aliud est Cardinali, quām voluntas inefficax. Sic per gratiam sufficientem, intelligit gratiam quandam com munem contradistinctam auxilio efficaci electis proprio. Conf. libr. 6. de grat. cap. 2. in primis libr. 2. cap. 12. ubi hīc habet: *Tametsi pri credamus, omnibus dari pro loco & tempore auxilium sufficiens, quō possint credere, tamen Scriptura docet, re ipsa non credere, nisi illos, qui habent auxilium efficax, quō sit ut homo non solū possit credere, sed etiam credat, & hoc auxilium non omnibus dari: Nam in primis Job. 6. Dominus ait: Omnis, qui audivit à Patre*

Patremēdō, & didicīt, venit ad me. Et Job. 10. Vos non creditis,
quia non estis ex oīibus meis. Ubi videmus causam reddi, cur Ju-
dei non crederent, non quia non haberent auxilium (sufficiens sc:)
quō possent credere; quorsum enim Dominus illis prædicaret, signa-
cora meis ficeret, bortaretur eos ad fidem, reprehenderet, & inex-
cusabiles diceret, si non de disset eis auxilium, quō possent credere?
Sed quia non haberent gratiam illam, que ita suaderet, ut persuadeat;
& ideo non habuisse gratiam illam, quia non erant de electis oīibus,
neque dederat eos Pater Filio &c. Lib. 2. cap. 8. ait: Credimus DE-
UM absolutā voluntate salvare velle multos tūm parvulos tūm adul-
tos. & absolute voluntate alios non velle salvare tūm parvulos, tūm adul-
tos. Cap. 16. duos reprobationis actus statuit, alterum negati-
vum, positivum alterum. Prioris causam ad solam DEL voluntatem, po-
sterioris causam ad peccata prævisa refert. Atque tantum et-
iam de flosculis Bellarminianis. Nunc ad Caput
Quartum, quo de dogmatis hujus fundamentalitate, ut
sic dicam, agere constitueramus, progrediendum
esset. Sed non licet nobis esse hāc vice prolixii-
oribus. Abrumpimus itaque telam,
dicentes

PATRI MISERICORDIARUM GRATIAS.



Gratia magna DEI pateat quām cuilibet, istud
MARCIADE, ô nostræ portio grata Scholæ
Rite doces. Mihi crede, tibi non tempore deē-
rit

Ulo, quam celebras, Gratia magna DEI.

*Per eximio Dr. Respondentem, S.S. Theol. Cultori
strenuo, gratiam Spiritus Sancti & faustis-
sima quevis appratus scribo.*

Joh. Fridericus König / D.

SIc iterum scandis cathedram, DILECTE, disertam,
Et cupis esse loquens, ut videare bene.
Nuper Philologus spiracula fontis Hebræi
Defendens, pessum cæca cavilla dabas.

Hinc nodos docte solvens punctum omne ferebas,
Accentum meritus non sine laude bonum.

At nunc Theiologos inter de fonte Salutis
Humanæ promes in pietate 1628.

Heic quoque tete Virum juvenis præstat. Jehova
Concedet robur cœlitus omnetibi.

Perge modò, ut pergis: Perfectus habebere quondam
Isthoc Philologus Theologusque modo.

*Boni omnis ergo
sincero affectu scr.*

Joan. Bernhard. Zinzerling. D.

PRÆSTAN-

SALUTIS omnium DEI
Nutu, futurus crederis
MARCI, Patris non degener
Successor optimi. Probat
Hoc namque virtus æmula,
Virtus latere nescia,
Felicitis ingenii decus,
Et lingua sancti Codicis
Ter-sancta. Stellifer polus
Sternutat, annuit CHORUS
VARNI ROSÆ novensilis.

Pio ex affectu & omni scrib.
M. Blasius Grabius, Sch Rostoch. SenR.

Dum Tu Cathedram scandis & abdit
Dix recessu semina Gratia
Educis, ipsa nunc beatis
Gratia cœlica spirat ausis.
Qvam vastus almi Numinis est Amor!
Qvam surgit amplis Gratia fontibus!

Imbresq; sacros spargit orbi
perpetuis revoluta gyris!
Hec Te quadrigis GRATIA candidis
per astra vectum nube super cava
Cœlo propinquum sistit inter
Numinis ac hominum favores.

Scrib. amoris mnemosynon
Tuus

Casparus Hermannus Sandhagen.



Gratia magna DEI pateat quam
MARCIADE, o nostræ por-
Ritè doces Mihi crede, tibi n.

Ullo, quam celebras, Gratia

*Pereximio Dn. Respondenti
strenuo, gratiam Spiritu
sima quevis appre-*

Joh. Frideric.

SIc iterum scandis cathedram, DIL.

Et cupis esse loquens, ut videar
Nuper Philologus spiracula fontis H.

Defendens, pessum cæca cavilla
Hinc nodos docte solvens punctum o.

*Accentum meritus non sine lau-
At nunc Theiologos inter de fonte S.*

Humanæ promes in pietate λογία
Heic quoque tete Virum juvenis pra-

Concedet robur cœlitus omne

Pergemodò, ut pergis: Perfectus hab

Isthoc Philologus Theologusq.

*Bona
sincer*

Joan. Bernhard. Z.

